CONSTITUTIONES

CONGREGATIONIS ORATORII

CONSTITUTIONES

CONGREGATIONIS ORATORII

IESU ET MARIAE IMMACULATAE



NOGENT-LE-ROTROU
IMPRIMERIE DAUPELEY-GOUVERNEUR
1893

CONGREGATIONIS ORATORII
IESU ET MARIAE IMMACULATAE
CONSTITUTIONES

PARS I.

De Congregationis Oratorii natura, fine et vitae instituto.

CAPUT I.

De natura Congregationis Oratorii.

I. — Cum status Congregationis Oratorii Iesu et Mariae immaculatae sit pure ecclesiasticus et sacerdotalis, ideo sacerdotibus et clericis ad sacros ordines aspirantibus constat, qui tamen omnes nunquam antea solemnibus votis religionis fuerint adstricti.

II. — Et si nullum ab eiusdem Congregationis sodalibus votum emittatur, liberum tamen erit eos vota privata emittere.

CAPUT II.

De Congregationis Oratorii fine.

III. — Ea est praecipue natura pietatis quae nostrae Congregationi convenit, ut speciali studio omnia ad similitudinem Iesu in hac terra vitam degentis apud nos habeantur, ita ut quaecumque aut agamus aut sentiamus, per eadem Iesu similia aut agenti aut sentienti peculiarem honorem tribuamus, uberrimam divinae gratiae vim, qua ad Eum imitandum adiuvemur, inde hausuri.

IV. — Ad id deinde Congregatio nostra tendit ut unusquisque e suis ad hanc sacerdotalem perfectionem ascendat.

V. — Praeterea Congregationis nostrae proprium est cum sacerdotes tum eos qui ad sacerdotium aspirant rationes edocere quibus ad eamdem sacerdotalem perfectionem perveniant.

CAPUT III.

De vitae instituto in Congregatione.

VI. — Nostrae Congregationis sodales sanctissimae Incarnationis mysterium praecipua devotione habere et semetipsos in Domini Nostri Iesu Christi servitutem dicare debent, ita ut, quaecumque aut agant aut cogitent, haec omnia et ab Eo proficiscantur et ad laudem Eius augendam intendantur.

VII. — Quicumque in nostra Congregatione versantur, cum aut sacerdotes sint, aut ad sacerdotium aspirent et in ea voluntate esse debeant ut sacerdotalem perfectionem et ipsi assequantur et ceteros sacerdotes edoceant, eos necesse est Domini Nostri Iesu Christi Summi Sacerdotis assidua consuetudine uti, et ad sanctitatem, cuius Ipse exemplar est, ita procedere.

VIII. — Nobis igitur hae virtutes praecipue colendae sunt : morum scilicet innocentia integra aut saltem poenitentia et voluntariis poenis reparata; saecularium deliciarum et propriae utilitatis omissio; summa aeque et tenax de perfectione assequenda sollicitudo; singulare non minus quam constans studium erga Sanctissimae Incarnationis mysterium eaque quae ad res divinas pertinent; mens sibi emortua quo melius Christi vitam accipere et aliis communicare possit.

IX. — Cum iidem congregatim et ad Domini nostri Iesu Christi imitationem vivere debeamus, in virtutibus capessendis, quibus eget vita communis, Iesum mortalem vitam degentem in exemplum assumemus.

X. — Ut Dominus Noster Iesus Christus, naturae nostrae mortalis infirmitatem molestiasque Ipse expertus est, ita vitae communis incommodis subiici et proprio arbitrio carere libenter sustinebimus.

XI. — Ad exemplum Domini Nostri Iesu Christi

qui se obedientem semper exhibuit, constitutionibus nostris non aegre aut coacti parebimus, imo sponte et ob amorem Christi.

XII. — Ut Dominum Nostrum Iesum Christum cum Maria et Ioseph conversantem praecipuo honore habeamus, vera ex corde caritate in fratres nostros utemur.

XIII. — Fratribus virtutum omnium exemplo esse enitemur ut fideles simus discipuli Domini Nostri Iesu Christi.

PARS II.

De Congregationis Oratorii forma.

SECTIO I.

QUI SINT IN NOSTRAM CONGREGATIONEM ADMITTENDI ET QUA RATIONE FORMENTUR.

CAPUT I.

De novitiis admittendis et instituendis.

XIV. — Societas quaelibet cum magnam curam de propria fama et de rerum suarum prosperitate habere debeat, adeo non quoscumque ultro se offerentes promiscue admittit, ut contra sedulo inspiciat num virtutibus praediti sint ad finem propositum accommodatis, aut easdem saltem comparare possint. Ex quo magni interest omnes, antequam in nostram Congregationem recipiantur, in accurata disquisitione poni, receptosque statim novitiatus exercitiis subiici.

§ 1. *Qui sint inter novitios admittendi.*

XV. — Antequam de candidati cuiuslibet in Congregationis nostrae novitiatu admissione statuatur, necesse est ut eos percontemur qui ad vera scienter referenda periti sint : de vita scili-

cet hominis ac moribus et de eiusdem virtutibus aut vitiis; in quae studia incubuerit; num sit pietate laudabilis, vel ab honesta gente prognatus.

XVI. — Maxime etiam prodest, si fieri possit, Superiorem ipsum generalem aut novitiorum magistrum ita cum eo colloquium facere ut eius bonam malamve valetudinem, ingenium et virtutem, pietatem indolemque ipsi explorare possint, causasque diligenter perpendere quibus ad nostram Congregationem adducatur.

XVII. — Non est etiam alienum, imo iustum, rerum quarumdam temporalium rationem circumspecte haberi, praesertim ut candidati amoveantur qui vel Congregationis famae vel nostrorum bonae valetudini noceant. Inde nulla de causa ii recipiantur qui aliquod dedecus ipsi admiserint, aut a famosa gente orti fuerint, vel morbo aliquo insanabili contagiosove correpti.

XVIII. — Quod ad alia cum animi tum corporis vitia pertinet, maxime operae pretium erit ut acute discernatur utrum sanabilia sint necne.

Quaedam sunt corporis vitia nequaquam sanabilia : valetudo scilicet perdita et genetiva deformitas, constitutioque aut nervis immoderatius obnoxia aut supra modum melancholica.

Si autem ingenium respicias, iudicii pravitatem et gravem in rebus dispiciendis perspicaciae inopiam in melius traductum iri non est quod confidas.

Denique si quis improba mente fuerit aut ad virtutum simulationem proclivis, vel animo nequam, vehementior pervicaxque, aut in eam consuetudinem adductus fuerit ut superioribus suis non pareat, istius modi homo in Congregationem nostram ne admittatur. Qui vero uno aut altero ex supradictis malis implicitus fuerit, experiendus aliquando accipi possit, modo ut spem prae se ferat se ad frugem bonam, Dei gratia adiuvante, rediturum. Propterea idem, etiam experimenti causa, nequaquam admittatur, si se delicatius aut languidiore studio habere solitus fuerit, quippe qui ad firmam sanitatem, secundum humanam providentiam, reverti minime queat.

XIX. — Ab iis igitur qui Congregationis nostrae participes fieri velint istiusmodi dotes et virtutes in primis requirantur : bona scilicet valetudo; morum integritas; ut in loquendo ita in agendo ingenuitas; humilitas animi; indoles aeque firma ac constans; vera pietas; sufficiens ingenium.

XX. — Si quis ex alia congregatione exclusus fuerit, in nostram ne admittatur; si vero sponte sua excesserit, ad diligentiorem disquisitionem veniat.

XXI. — Presbyteri qui sacri ministerii officiis in parochialibus ecclesiis complures annos functi fuerint, in nostram Congregationem, nisi consulto, ne admittantur.

XXII. — In summa superioribus nostris, in novitiis admittendis, nihil potius sit quam ut Dei gloriae et Congregationis spirituali processui provideant.

XXIII. — Si quis, inter novitios admittendus, in domibus nostris munus quodlibet gesserit, earumdem domorum superiores nostrique eas inhabitantes de admissione consulantur.

§ 2. *De institutione, seu novitiatu.*

XXIV. — Novitii integro anno probentur exerceanturque; quibus exercitiis apparebit num idonei sint qui in nostram Congregationem vocentur, et moribus animoque Congregationis nostrae, si vocandi fuerint, imbuantur.

XXV. — Novitiis domus propria assignetur, in qua duodecim menses continuos degant.

XXVI. — Ne superiori quidem generali facultas fiat novitium aliquem in aliam domum transferendi, nisi prius a Summo Pontifice veniam impetraverit.

XXVII. — Nulli e nostris concedatur ut novitiatus domum invisat, nisi Superioris generalis bona venia.

XXVIII. — Novitiorum habilitas ad Congregationis nostrae rationem percipiendam, post tertium novitiatus mensem et sub novitiatus finem, rursus in disquisitione ponatur.

XXIX. — Omne novitiorum studium praecipue ea ratione dirigi placet ut libros sanctos perlegant meditenturque, christianas sacerdotalesque virtutes, tum in libris asceticis ediscendis tum in vita sua recognoscenda, alte scrutentur, constitutiones Congregationis nostrae perspiciant, Ecclesiae cantus liturgiamque ediscant, denique in manualibus operibus exerceantur.

XXX. — Quibusdam tamen novitiis, id si utile visum fuerit, novitiorum magister facultatem faciat in aliud studium aliquid temporis impendendi.

XXXI. — Libros secum novitii ne habeant nisi quorum novitiorum magister licentiam concesserit, neve libris in communi bibliotheca depositis iniussi utantur.

XXXII. — Quod autem ad externas necessitudines attinet, etiam si de propinquis agitur, novitii caveant ne animum abducant a fine sibi per novitiatum proposito.

XXXIII. — Quae omnia ut proficiant complura sunt novitiis praecipue observanda : fide ita illuminentur ut res quaslibet, praesertim ad vocationem suam spectantes, supernaturalibus ponderibus diiudicent ; rectoribus suis sine fuco et fallaciis utantur seque tractabiles praebeant ; cunctis novitiatus officiis aequabiles deprehendantur ; sese invicem fraterna caritate habeant ; quidquid in eis est virilis roboris, id omne impendant in

finem novitiatus, etiam summo labore, obtinendum. Novitii praeterea, quaecumque agant, Dominum Nostrum Iesum Christum Nazareth inhabitantem imitari enitantur, Eiusdem humilem absconditamque vitam praecipuo honore habituri.

XXXIV. — Sub finem novitiatus, hebdomade tota in spiritualibus exercitiis consumpta, fructus omnes quos tulit annus, novitii, iam discessuri, colligant.

XXXV. — Statim e novitiatus domo egressi, si propositum teneant, per litteras, Superiorem generalem rogent ut in Congregationem admittantur, sibique mentem esse profiteantur reliquam vitam in Congregatione degendi.

§ 3. *De novitiorum magistro.*

XXXVI. — Cum novitiorum magistro munus iniungatur novitios sacerdotalibus virtutibus imbuendi, idem, ut magister noster Iesus Christus solebat, ita non exemplis minus quam verbis docere debet. Sit igitur scientia atque pietate muneri suo convenientibus instructus.

XXXVII. — Solerti sit prudentia in novitiorum indole dispicienda, ita ut cum eis, mitius aut austerius, pro uniuscuiusque natura et virtute, agere possit.

XXXVIII. — Ut par est providebit ut novitii salubri sint corpore; quamobrem ne immodico

labori aut intemperatae corporis castigationi indulgeant, omni tamen laxitudine remota, refragabitur.

XXXIX. — Praecipua eius cura in hoc versabitur ut novitii in imitatione Domini Nostri Jesu Christi quotidie crescant, virtutesque maxime necessarias plus plusque in dies capessant : humilitatem scilicet, carnis castigationem, propriae utilitatis derelictionem caritatemque.

XL. — Novitios accurate doceat virtutem pietatemque ex voluntatis actu pendere, non autem ex sensibili cordis affectu, qui, et si maximae opis esse possit, non tamen necessarius est nec omnibus patet.

XLI. — Constitutiones nostras novitios edoceat easdemque apud eos commentetur, ne gravius onus imprudentes suscipiant.

CAPUT II.

Qui sint in Congregationem Oratorii admittendi et in eamdem adscribendi.

§ 1. *De admissione.*

XLII. — Novitii, ut supra dictum est, praeterquam quod in novitiatum, nisi propius inspecti, non admittuntur, praeterea post tertium mensem et sub novitiatus finem, in disquisitione rursus ponuntur. Quarum disquisitionum rationem habeant Superior generalis Consiliumque generale.

XLIII. — Novitiorum magister ceterique Congregationis presbyteri qui in novitiatus domo munere quolibet funguntur, auctore Superiore generali, de candidatis admittendis aut amovendis testimonium in scriptis dabunt suo nomine consignatis et ad Consilium generale referendis.

XLIV. — Postea Consilium generale de admissione per suffragia definitive statuat.

XLV. — Superior autem generalis Consiliumque generale, antequam ea de re suffragia ineant, sedulo inter se quaerant num candidati iis virtutibus, quae in nostra Congregatione vigere debent, praediti videantur et in bonis consiliis fortiter perseveraturi.

XLVI. — Si quis, e nostra Congregatione olim egressus, rursus admissus fuerit, novitiatus exercitiis subiiciatur quamdiu Consilium generale certius fuerit de ipsius vocatione, et deinde adscribatur.

XLVII. — Idem, novitiatu perfecto, ius vetustatis solum obtineat ex hac die qua rursus admissus fuerit.

§ 2. *De presbyteris iam admissis in Congregationem adscribendis.*

XLVIII. — Qui, novitiatu perfecto, admissus fuerit, idem tamen ad Congregationem nostram plene non pertineat antequam in eamdem adscriptus sit.

XLIX. — Nemo in Congregationem adscribatur nisi tres alios annos tresque menses in Congregatione degerit; quo tempore habeatur tanquam scholasticus inter nostros.

L. — De iis quicumque, iam admissi, nondum adscripti fuerint, ne omittatur constanter inquiri num idonei sint qui Congregationi nostrae definitive uniantur.

LI. — Iidem, si theologica studia nondum perfecerint, aut quintum annum ab ordinatione sacerdotali nondum absolverint, specialibus statutis teneantur de quibus infra dicitur.

LII. — Si quis e nostris in eo fuerit ut iam Congregationi definitive uniatur, omnes patres, capitulares nempe, qui cum eo annis quattuor proximis, aliquamdiu convictores fuerint, de eodem admittendo, auctore Superiore generali, inter annum testimonium dent per litteras suo nomine consignatas, quae ad Consilium generale referantur. Deinde Consilium generale per secreta suffragia ea de re definitive statuat.

Si Consilium generale contrariam sententiam dixerit, post annum, de eodem adscribendo simili ratione iterum agatur. Si autem non adscribendus rursum visus fuerit, e Congregatione, ipso facto, dimittatur. Cuius sententiae severitas omni industria caritatis et humanitatis mitigetur.

LIII. — Consilii generalis sententiam secreta-

rius generalis, cum ei cuius refert, tum superiori domus in qua idem locum habet, notam faciat.

LIV. — Patri cuilibet approbato admissio solemniter detur ritu qui apud nos in usu est.

LV. — Patrum adscriptorum nomina albo ad id adhibito a Secretario generali inscribantur.

CAPUT III.

De scholasticis et sacerdotibus recenter ordinatis.

LVI. — Qui in nostram Congregationem, posteaquam novitiatum perfecerunt, iam admissi, studiorum theologicorum curriculum aut adhuc non ingressi sunt aut non omnino decurrerunt, vel, sacerdotio iam insigniti, quintum tamen annum ab ordinatione sacerdotali nondum absolverunt, ii omnes, pro uniuscuiusque conditione, peculiari disciplina habendi sunt. Cum enim illud a Sancto Bernardo praeclare dictum semper recordari debeamus « *lucere tantum, vanum; ardere tantum, parum; lucere et ardere, perfectum* », necesse est eos, quicumque aut sacerdotium appetant aut sacerdotes recenter ordinati sint, et ecclesiasticis disciplinis erudiri et ad pietatem informari. Quibus doctrinis si se imbuendos sponte sua ipsi praebuerint, non scientiam qua inflentur, sed solam veri perspicientiam plurimi facient, quo fratres melius in amorem Christi rapere possint. Quae egregie edocet Sanctus Augustinus : « *Ut*

discamus nos invitare debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas caritatis ».

§ 1. *De scholasticis.*

LVII. — Eos scholasticos in Congregatione nostra nuncupamus qui, post novitiatum, et scientias ecclesiasticas edocendi et ad sacerdotalem perfectionem informandi, annos quinque, in domo ad id adhibita, commorantur.

Qui vero aptam philosophiae scientiam iam adepti fuerint, solum quattuor annos inter scholasticos locum habeant.

LVIII. — Scholasticorum magistri ab iis docendi rationibus ne discedant quae praescriptae fuerint, illosque libros prae scholasticorum manibus ponant quorum doctrina in catholicis scholis communiter traditur.

LIX. — Iidem sedulo caveant ne, in docendo, rem quamlibet proponant quae aut libris sanctis aut Conciliorum vel Summorum Pontificum doctrinae adversetur.

Denique sequantur Patrum theologorumque communes sententias.

LX. — Summi Pontificis iura praerogativaeque semper et firmissime ab eis propugnentur.

LXI. — Scholastici, statuto tempore, de iis rebus quas edocti fuerint palam interrogentur, necnon et fidei nostrae veritates verbis cum expo-

nere tum defendere in privatis concionibus assuescant.

LXII. — Scholastici ad eas christianas sacerdotalesque virtutes praecipue informari debent quae Congregationis nostrae presbyteris, in prima et tertia harum constitutionum parte, maxime commendantur.

LXIII. — Apud scholasticos, mentalis oratio, sanctissimum Missae sacrificium spiritualisque lectio quotidie communiter habentur.

LXIV. — Scholastici ad sacros ordines a Superiore generali Consilioque generali quam prudentissime vocentur, posteaquam scholasticatus Superior rectoresque per fidem sententiam suam dixerint.

LXV. — Sacri ordines, statutis temporibus, scholasticis conferantur, nisi aliter ob graves causas decernatur, servatis canonicis interstitiis, aliisque de iure servandis quoad tempus ordinationis, quoad examen scientiae, quoad exercitia spiritualia per decem dies peragenda.

§ 2. *Quibus rationibus eorum qui scholasticum recenter perfecerunt informationi provideatur.*

LXVI. — Quicumque, scholasticatu perfecto, in Congregationem nondum adscripti fuerint, Superiorem domus quam inhabitant, aut alium e nostris ab eodem Superiore electum, singulis mensi-

bus adeant, apud eum de studiis quibus vacare soleant et de propria obtemperatione constitutionibus, denique de voluntate in Congregationem magis minusve propensa rationem habituri.

LXVII. — Specialibus legibus, circa externas consuetudines aut libros quosdam evolvendos, et alia huiusmodi, tenentur.

LXVIII. — Presbyteri omnes, per quinque annos a sacerdotali ordinatione, ad interrogata quotannis respondere debent de theologia, Scriptura sacra et Sanctae Ecclesiae historia.

SECTIO II.

QUOMODO INVICEM SE HABERE DEBEANT CONGREGATIO ET EIUS SODALES AUT SODALES INTER SE.

CAPUT I.

Quid congregatio debeat sodalibus defunctis.

LXIX. — Congregatio nostra cum profiteatur sibi solemne esse suos precibus magnopere adiuvare et divinae misericordiae commendare, nos vehementer adhortatur ut fratribus nostris defunctis continuis precibus et piis operibus auxiliemur.

LXX. — Quamobrem, quotiescumque unus e nostris animam Deo reddiderit, missas, pro eius requie, celebrare iubemur eo numero qui a capitulo generali statuendus erit.

LXXI. — Qui vero sacerdotes nondum ordinati fuerint, ii, eadem mente, sacram Communionem toties recipiant quoties praescriptum fuerit, et rosaria recitent.

LXXII. — Congregatio cum novitios eadem caritate habeat qua filios suos, eos iubet eiusdem beneficii, si intra novitiatum defuncti fuerint, participes fieri.

LXXIII. — Capitulo quoque generali, missa pro

omnibus Congregationis sodalibus, post superius capitulum defunctis, legatis omnibus praesentibus, celebratur. Praeterea, inter unam e sessionibus, de eisdem defunctis mentione a praeside Capituli generalis facta, psalmus *De profundis* recitatur, eaque Capituli generalis secretarius sessionis actis inscribit.

LXXIV. — Quotannis, mense novembri, die a domorum superioribus statuta, nisi obstet ritus et rubrica, presbyteri omnes missam pro omnibus Congregationis sodalibus defunctis concelebrant.

CAPUT II.

Quid Congregatio sodalibus suis in rebus temporalibus debeat.

LXXV. — Congregatio filiorum suorum necessitatibus, ut benignam matrem decet, subvenire debet, eosque aut morbis implicitos aut aetate graves enutrire.

LXXVI. — Unicuique facultas conceditur proprias opes cum possidendi tum administrandi, fructumque ex iis capiendi, praeterea missarum honorarium sibi retinendi.

Novitii tamen, antequam in Congregationem admittantur, Superiorem generalem de facultatibus suis, quemadmodum sint, certiorem faciant, et omne supervacuum, si fuerit, quo in usu habere intendant. Superior enim generalis, etsi Congre-

gationis nostrae presbyteros, qui supervacua possideant, nullo modo circumvenire possit ut dona Congregationi largiantur, iisdem tamen interdicere debet ne pecuniam suam in res consumant non christianis solum, verum etiam sacerdotalibus virtutibus parum consentaneas.

LXXVII. — Si quis ob malam valetudinem aut ob causam rationabilem a Superiore generali adprobatam extra domos nostras locum diutius habere coactus fuerit, inter eum Congregationemque fraterni usus intercedere ne desinant.

CAPUT III.

Quid Congregationi debeamus.

LXXVIII. — Quicumque in religiosam societatem, rite adprobatam, venerunt, eam pro matre habere debent quae, cum ipsis spiritualem vitam infundat, vice versa animum observantissimum, pium, gratissimum obsequentissimumque a filiis iure suo sibi vindicare possit.

LXXIX. — Qui se observantissimos praebebunt si, cum in loquendo tum in agendo, nihil admiserint quod matris existimationem minuat.

LXXX. — Aeque pii ac gratissimi deprehendentur si religione et piis operibus Deum sibi fratribusque suis propitium fecerint; si Congregationem suam ab omni iniuria tutam praestite-

rint, aut, in angustiis, de suo, pro facultatibus, sublevare parati fuerint; denique si eius auctoritatem proprio labore bonisque artibus auxerint eique ornamento esse ipsi enixi fuerint.

LXXXI. — Quamvis nostri nullo solemni voto sint adstricti, ea tamen quae superiores iusserint pro Dei voluntate habeant.

LXXXII. — Quod si eis insitum fuerit, tantum aberit ut superiorum iussa iisdem ponderibus diiudicent quibus res humanae aestimari solent, ut contra existiment se, quae Deus iusserit, inde cognituros. Proinde, ut in rebus gravioris momenti, ita in minimis, iussa eadem ex animo observabunt.

LXXXIII. — Cum constitutiones nostrae publice legentur, quod in unaquaque Congregationis domo bis in anno fieri solet, sese attentos auditores praebeant, easdemque privatim saepius perlegant.

LXXXIV. — Quodcumque lucrum, qualicumque labore faciamus, honorario Missarum excepto, id omne Congregationis sit.

CAPUT IV.

Quid sibi invicem debeant Congregationis sodales.

§ 1. *De officiis quae omnibus communia sunt.*

LXXXV. — Unusquisque sedulo abstineat a re qualibet quae fratres laedat, aut, absque iusta causa, contristetur.

LXXXVI. — Ab omni conspiratione aut conventiculo abhorreamus, neve necessitatibus inter nos utamur quae fratrum unanimitatem minuant; inde enim communitates elanguescere et dissociari necesse est.

LXXXVII. — Cum simus omnes christiana fide devincti et eiusdem mystici corporis, Christi scilicet, membra, nos invicem reverenter et humaniter in omni caritate habeamus.

LXXXVIII. — Quibus rebus si mentes nostras imbuerimus, unusquisque nostrum, propria utilitate posthabita, res fratrum suorum potius respiciet.

LXXXIX. — Consuetudines nostrae amicitiaeque ad id praesertim spectent ut nos invicem verbis et exemplis ad virtutem acuamus, quae via est expeditior qua alii aliis consulamus.

XC. — Unusquisque aliquem e fratribus sibi asciscat, a quo, quae erraverit, saltem bis in mense, moneatur.

§ 2. *De superiorum officiis.*

XCI. — Superiores, cum in eorum potestate praecipue sit ut Congregationis res floreant, inde gravioris momenti officia suscipere manifestum est, quae Deo, fratribus et sibimetipsis praestare debeant.

XCII. — Superioribus insitum sit propriam auctoritatem ab auctoritate Dei proficisci, seque quasi instrumenta esse in manu Dei et eius dispensatores.

XCIII. — Quapropter tota mente ad divina consurgant et Dei voluntatem altius scrutentur oportet, lumen ex coelo quaesituri ut Dei operibus divinitus operentur.

XCIV. — Superiores, quamvis in extraneis negotiis saepius versentur, se introrsus reducant, et assidue orent ut et animas sibi commissas et se ipsos in Dei amorem rapere possint.

XCV. — Tanta sint humilitate ut honoribus minime delectentur, tantaque abstinentia ut nihil nisi regnum Dei et rerum sibi commissarum prosperitatem in auctoritatis exercitio inquirant. Denique tam firmi sint animo ut, inter angustias, oneri pares se semper ostendant.

XCVI. — Subditis suis sese praesto esse existiment ut eorum rebus, cum temporalibus tum maxime spiritualibus, consulant.

XCVII. — Ea humanitate in iubendo utentur quae auctoritati reverentiam omnium conciliet; ea sedulitate quae, non communitatis modo, verum etiam uniuscuiusque curam habeat; ea denique prudentia quae aptissimas rationes adhibeat ad res quaslibet obvias sapienter gerendas.

XCVIII. — Ut in exhortando valeant omnium virtutum exemplar ipsi sint.

XCIX. — Illis maximi officii est ut consilium domus legitimis temporibus advocent.

§ 3. *De propriis Superioris generalis officiis.*

C. — Superior generalis Christi spiritum gerere et caritatem imitari enitatur.

Res Congregationis, consilio generali adiuvante, administret; quam ob causam, idem consilium, non legitimis solum temporibus sed etiam quotiescumque de re aliqua gravioris momenti decernendum fuerit, advocare ne omittat.

CI. — Si de re ad consilium generale relata per votum deliberativum statuendum fuerit, hanc sententiam ratam habeat cui plura suffragia faverint; si vero per votum consultativum, consilio generali assentire aut ab eodem dissentire, prout aequum et sapiens coram Deo existimaverit, liceat.

CII. — Quae Capitulum generale statuerit, ea exsequenda curet.

CIII. — Capitulum generale, quoque quinquennio, aut saepius si iusta causa intervenerit, edicat.

CIV. — Domorum superiores magna cum cura eligat, quibuscum assiduo epistolarum commercio utatur, eosdem consiliis adiuturus, aut, si locus fuerit, de officiis admoniturus.

CV. — Curam adhibeat ut unusquisque superior domus suae rationem bis in anno reddat, ut constitutionibus cautum est.

CVI. — Consulat ut unusquisque Congregationis sodalis ipsi semel in anno litteras scribat, quibus, quantum fieri possit, rescribat, paternam benevolentiam praestiturus.

CVII. — Multo ante prospiciat qui aut quot ex qualibet Congregationis domo in aliam transferendi sint; qua in re sedulo caveat ne domus aliqua aliquid detrimenti capiat.

§ 4. *Quae officia domorum superioribus propria sint.*

CVIII. — Necesse est domorum superiores compertum habere quae sint iura sua et quis modus in iis persequendis servandus sit.

CIX. — Cum ex ipsis pendeat ut regulis cum in Congregatione generalibus, tum domibus quibus praesunt propriis pareatur, easdem regulas saepius lectitent et penitus percognoscant oportet.

CX. — Si persuasum habuerint regulam quamlibet in domo sua sine gravi incommodo servari non posse, adeo non audebunt eam sua sponte tollere, ut contra rem ad Superiorem generalem referant, his quae decreverit pariturі.

CXI. — Praecipuam curam habebunt ne caritas in domo sua minuatur.

CXII. — Si quemlibet e suis alieno animo esse deprehenderint, efficacia adhibeant remedia; quae si sine effectu fuerint, ad Superiorem generalem deveniatur.

CXIII. — Quomodo quisque constitutionibus pareat aut munere suo fungatur animadvertant.

CXIV. — Qui, quamvis culpa non semper careant, bona tamen mente sunt et melius vivere conantur, eorum bonae voluntati superiores incitamentum afferent, necnon et severa disciplina, si locus fuerit, utentur, paterna benevolentia mitiganda.

CXV. — Qui vero constitutionibus non parere et ab opere suo desides esse perperam consueverunt, vel graves culpas interdum admittere solent, superiores, id quamvis molestum sit, in eos gravius animadvertere necesse est, ne delictorum, prae nimia indulgentia, participes fieri ipsi videantur.

CXVI. — In qua quidem severitate, ne res in irritum cadat, iustitia, modus caritasque usurpentur oportet.

Iustitia enim praestabitur ut superiores, ante omnia, sedulo de gravitate delicti cognoscant, nedum sese falsa suspicione duci, vel propria benevolentia aut repugnantia praeoccupari, vel falsis auctisve indiciis decipi patiantur. Iidem non committent ut poenas sumant delicto graviores.

Si iustum in castigando modum adhibuerint, temporis opportunitate utentur, ne, praepropera festinatione, ignem igne incitent; necnon et aetatis, conditionis et uniuscuiusque virtutis indolisque rationem habebunt.

Si fratres suos christiana caritate complexi fuerint, necessitate solum coacti et omni cum caritate in illos animadvertent; imo castigationis acerbitatem bonis officiis temperabunt, quibus animi molliantur et in meliorem voluntatem inflectantur.

CXVII. — Superiores, quomodo domus dispensator rem domesticam administret, inspicient, eiusque nummarias rationes, consilio domus audito, tertio quoque mense, dispungent.

CXVIII. — Consilium domus cui praesunt legitimis temporibus advocabunt eiusdemque consilii sessiones rite habendas curabunt.

CXIX. — Bis in anno, de domus sibi commissae statu Superiorem generalem certiorem facient, necnon et quaecumque utilia videbuntur adiicient.

CAPUT V.

De observantia constitutionum.

CXX. — Superiores vehementer hortamur ut suum esse arbitrentur unumquemque sibi subditum observare et ad resipiscendum adiuvare, praesertim si vitiis laboraverit domesticae disciplinae et sincerae pietati parum consentaneis.

CXXI. — Si quis verbis castigandus fuerit, superior paternam correctionem praemittat.

CXXII. — Qui vero, et privatim et publice admonitus, ad meliorem mentem non redierit, iste ad Superiorem generalem eiusque consilium, poenis quibusdam mulctandus referatur : spiritualia scilicet exercitia agere iubeatur; vel a munere suo amoveatur; iure vocis activae et passivae privetur.

CXXIII. — Denique, quod Deus avertat, si quis e nostris, rite monitus et debitis poenis affectus, in vitiis perseveraverit, e Congregatione, velut ramus aridus ex arbore bona, a Superiore generali, de voto sui consilii, recidatur.

SECTIO III.

DE CONGREGATIONIS REGIMINE.

CAPUT I.

De Capitulo generali.

§ 1. *De legatorum ad Capitulum generale dotibus.*

CXXIV. — Illud magni interest ut ii in Capitulum generale legati eligantur qui, tum sapientia tum sanctitate conspicui, fratres et consilio iuvare et exemplo firmare possint; iidemque tanta sint integritate ut omnibus appareat illos solum fore intentos ad Domini Nostri Iesu Christi gloriae et Congregationis nostrae commodis inserviendum.

CXXV. — Nostrae igitur Congregationis presbyteri, ad suffragia ituri, neque propriae utilitati, neque amicitiae vel repugnantiae consulant, sed candidatorum praestantiae et bono publico. Quapropter illos, si id utile videatur, de candidatorum virtute, sine ullo caritatis detrimento, privatim percontari liceat; sed ab omni praevia conspiratione abhorreant et sedulo caveant ne repugnantes fratres in sententiam suam perducere velint.

CXXVI. — Qui legati eliguntur se existiment missos ut quae Deus iusserit fratribus nota faciant. Qua de causa, re qualibet ad Capitulum relata, ita

se habebunt ut de propria sententia, si iustum fuerit, facile deduci possint et in meliorem perduci.

§ 2. *De Capituli generalis auctoritate.*

CXXVII. — In nostra Congregatione penes Capitulum generale rite constitutum auctoritas sit, ita ut Superior ipse generalis mandata eius exsequi debeat.

CXXVIII. — Capitulo generali soli ius est eligendi Superiorem generalem, Assistentes, Procuratorem generalem et Secretarium generalem.

CXXIX. — Penes est Capitulum generale inquirere de causis ob quas Superior generalis ad auctoritatem aut retinendam aut exercendam inhabilis esse videatur.

CXXX. — Idem potest rationes exigere ab iis qui Congregationis nostrae nummarias res gesserunt.

CXXXI. — In potestate eiusdem est et novas leges ferre et antiquas aut subrogare aut abrogare, ea tamen conditione ut constitutiones nostrae a Summo Pontifice adprobatae nullo modo commutentur, nisi ex ipsius Summi Pontificis consensu.

§ 3. *De Capitulo generali indicendo.*

CXXXII. — Capitulum generale singulis quinquenniis indicatur.

CXXXIII. — Ultra quinquennium, nisi iusta de causa, ne prorogetur.

CXXXIV. — Si iustum fuerit Capitulum generale prorogari, Superior generalis, de consilii sententia, omnes sacerdotes in Congregationem adscriptos consulat, eorumque si duplex triens annuerit, a Summo Pontifice prorogandi veniam postulet.

CXXXV. — Sex ante mensibus quam incipiat Capitulum generale, Superior generalis et eius consilium unicuique Congregationis domui litteras mittendas curent quibus Capitulum generale edicatur. Iisdem litteris definiantur dies quo sessiones habebuntur de legendis legatis, dies et locus Capituli generalis habendi, et summa rerum quae ad Capitulum referentur; supplicationes denique praescribantur ut Deus inceptis faveat.

CXXXVI. — Patres in congregationem adscripti, ad summum tres menses ante, Superiori generali nota faciant quaecumque sibi in summa rerum referendarum tum adiicienda tum emendanda videantur.

CXXXVII. — Quattuor mensibus ante inceptum Capitulum generale, Superior generalis et consilium eius presbyteros quibus ius est sive vocis activae sive passivae recenseant et recensionis album ad unamquamque Congregationis domum mittant.

CXXXVIII. — Qui vero nomen aliquod iniuria aut huic albo capitulari insertum aut ex eodem omissum censuerit, quindecim ad summum diebus post album receptum, ea de re ad Superiorem generalem scribat, qui, consilio generali adiuvante, statuat.

Quae sententia, tribus mensibus ante inceptum Capitulum generale, per omnes Congregationis domos innotescat.

Postea ad Capitulum generale, si visum fuerit, tempore opportuno deveniatur.

CXXXIX. — Si forte Superiori generali et eius consilio, ob graves et imminentes necessitates, Capitulum generale, inter quinquennium cogere placuerit, morae supra dictae pro necessitate brevientur.

CXL. — Defuncto Superiore generali, primus assistentium, de reliquorum assistentium voto, menses ad summum quattuor ante, Capitulum generale indicat quod Superiorem generalem eligat.

CXLI. — Si mors Superioris generalis, indicto Capitulo generali et post electos legatos intervenerit, in suffragium iterum non ibitur, quippe cum legati semper mittantur cum liberis mandatis et omni rerum agendarum licentia.

§ 4. *Qui in Capitulum generale sint advocandi.*

CXLII. — Duplici modo Congregationis nostrae

presbyteri Capituli generalis participes fieri possint : iure suo scilicet alii, alii autem per suffragia.

CXLIII. — Iure suo Capituli generalis participes sint : Superior generalis et eius Vicarius, si fuerit; Assistentes, Procurator generalis, Visitatores a Capitulo generali electi, Superiores domorum.

Legati per suffragia ex singulis domibus eligantur ubi sex saltem presbyteri ad suffragium admissi commorentur.

Quod si aliae fuerint domus minus quam sex presbyteros ad suffragium admissos habentes, eae domus uniantur proximiori domui et unum legatum eligant.

CXLIV. — Illis ius est vocis passivae qui, iam adscripti, quartum annum a sacerdotali ordinatione et sextum annum post perfectum novitiatum, die saltem quo comitia de eligendis legatis habebuntur, absolverunt.

CXLV. — Presbyteri extra domos nostras degentes iure suffragii prohibeantur neque candidati esse possint, nisi, extra domos, Superioris generalis iussu, Congregationi operam navent.

CXLVI. — Illi legati sint qui dimidium suffragiorum et unum amplius saltem obtinuerint.

Aequato autem suffragiorum numero ille praeoptetur qui plures annos a sacerdotali ordinatione in Congregatione vixerit.

CXLVII. — Die comitiali, in unaquaque domo,

presbyteri omnes quibus ius est suffragii legatos eligant per secreta suffragia.

Superior autem det electo documentum authenticum quo Capitulo generali praesentari possit et eius electio recognosci.

§ 5. *Qua ratione Capitulum generale habeatur.*

Generalia quaedam.

CXLVIII. — Protinus ante primam Capituli generalis sessionem, dicto hymno *Veni creator*, missa de Spiritu Sancto a Superiore generali aut ab uno ex maioribus Congregationis nostrae sodalibus celebretur, si rubricae permittant, cui duo presbyteri, inter antiquiores lecti, praesentibus omnibus legatis, ministrent.

CXLIX. — Die dicta, missa pro omnibus Congregationis nostrae sodalibus, praesertim post superius Capitulum generale, defunctis, servatis rubricis celebretur, cui legati omnes cum superpelliceo adsint.

CL. — Quotidie quinque missae celebrentur, si rubricae permittant : prima de Sanctissima Trinitate, secunda de Spiritu Sancto, tertia de Domino Nostro Iesu Christo, quarta de Beata Virgine Maria, quinta pro Ecclesia et Summo Pontifice.

CLI. — Unusquisque eorum quicumque Capitulo generali intersunt, aram ubi Augustissima Eucharistia asservatur et Beatae Mariae Virginis

sacellum, ceterorum legatorum nomine, quotidie adeat.

CLII. — Post vespertinas preces, quattuor presbyteri, nomine Capituli generalis, Iesum Christum, altaris ciborio patente, usque ad horam qua dormitum itur, adorent.

CLIII. — Peracta ultima Capituli generalis sessione, post hymnum *Te Deum* et *Tantum ergo*, benedictio Sanctissimi Sacramenti impertiatur.

CLIV. — In eo loco ubi Capitulum generale habetur, ara, si fieri possit, constituatur, cui Domini Nostri Iesu Christi effigies et Libri sacri, evoluti duos inter cereos dum litaniae recitantur inflammandos, imponantur.

CLV. — Pridie quam Capitulum generale incipiendum est, sessio praeparatoria, si necesse fuerit, instituatur. Inter quam sessionem praeses Capituli excitatorem et caerimoniarium e iunioribus eligere solet.

CLVI. — Inter unam e sessionibus, Superior generalis et assistentes discedant, caerimoniario reducendi posteaquam, iis absentibus, deliberatum fuerit.

CLVII. — De officialium Congregationis electione sub finem Capituli generalis agendum erit.

§ 6. *Quae sint primae sessioni propria.*

CLVIII. — Precibus de more habitis, quisque

locum sibi destinatum, pro annorum numero quos a sacerdotali ordinatione in Congregatione vixerit, occupet.

CLIX. — Capitulum generale, praeside suo auctore, sese rite et iure constitutum profiteatur.

CLX. — Tempora deinde sessionum dispertiantur.

CLXI. — Praeses eos qui Capitulo intersunt, vel per se vel per alium ab ipso deputandum, adloquatur.

CLXII. — Capituli generalis officiales, ritu infradicto, et commissiones, si locus fuerit, eligantur.

CLXIII. — Reliqua sessio more solito habeatur.

§ 7. *Quae sint omnibus sessionibus communia.*

CLXIV. — Initium uniuscuiusque sessionis fiat per preces : *In nomine Iesu*, *Veni sancte Spiritus* cum oratione, et *Ave Maria.*

CLXV. — Secretarius deinde acta superioris sessionis recitet, quae, postquam legato cuique concessum fuerit ut contradicat, si locus fuerit, emendentur, deinde comprobentur.

CLXVI. — A primo consultore petitiones novae prima vice promulgentur.

CLXVII. — Petitiones quae superioribus sessionibus prima vice promulgatae sunt, eodem

ordine quo depositae fuerint, iterum promulgentur; deinde, re deliberata, in sententiam eatur more infra scripto.

CLXVIII. — Quae proxima sessione agenda sint praeses statuat.

CLXIX. — Post perfectam sessionem matutinam, SS. Nominis Iesu litaniae recitentur; post vespertinam autem, Beatae Mariae Virginis litaniae.

§ 8. *Quae sint ultimae sessioni propria.*

CLXX. — Inter ultimam sessionem, legato unicuique concedatur ut petitiones quaslibet, etiamsi a consultatoribus repudiatae fuerint, ad Capitulum generale, arbitratu suo, ferre queat, dummodo legatorum quarta pars petitioni subscribere voluerint.

CLXXI. — Omnium sessionum acta legantur, quibus legatus unusquisque subscribat.

CLXXII. — Antequam discedatur, legati omnes, genibus flexis, Superioris generalis benedictionem accipiant.

§ 9. *Qua ratione officiales Capituli generalis creentur.*

CLXXIII. — Capituli generalis officiales per secreta suffragia eligantur.

Superior generalis, Vicarius generalis, Assis-

tentes, Procurator generalis et Secretarius generalis Capituli generalis officiales ne eligantur.

CLXXIV. — Ne quis Capituli generalis consultor electus censeatur, nisi suffragiorum dimidium et unum amplius illi faverint.

§ 10. *Quae sint in deliberando regulae servandae.*

CLXXV. — Petitionum auctores eas consultoribus notas faciant qui decernant utrum ad Capitulum generale ferendae sint necne.

CLXXVI. — Petitiones ad Capitulum generale ferendas primus consultor prima vice promulget, de quibus, si petitum fuerit et ita Capitulo generali, pro necessitate placuerit, statim deliberetur.

CLXXVII. — Si vero Capitulo generali ita non placuerit, de petitione qualibet, priusquam altera vice inter aliam sessionem promulgetur, deliberatio ne habeatur.

CLXXVIII. — Petitione promulgata et antequam deliberatio de ea instituatur, legatorum unumquemque, utrum ea de petitione tum disputare tum censere expediat, palam percontari liceat.

CLXXIX. — Cum ad deliberandum devenietur, primus consultor quaestionem ita exponat ut omnes eam animo complecti possint; deinde posteaquam ea quae sentiat aperuerit et argumentis confirmaverit prae ceteris sententiam dicat.

CLXXX. — Ceteri deinde consultores opinionem suam argumententur et in sententiam eant.

CLXXXI. — Postea, praeside Capituli perrogante, ut quisque gradu antecellit ita sententiae principatum obtineat.

CLXXXII. — Nemo extra ordinem dicere aut dicentem interfari praesumat.

CLXXXIII. — Iis solum, antequam in sententiam eant, dicendi potestas fiat qui aliquid habuerint novi unde argumententur, sed paucis verbis.

CLXXXIV. — Causa triplex sit cur, exquisitis omnium sententiis, ius iterum dicendi petenti concedatur : si quis voluerit in alterius sententiam ire, aut a propria discedere, aut ceterorum opinionem minuere.

CLXXXV. — Si saltem tres legati petierint, deliberatio dirimatur.

CLXXXVI. — Praeses post ceteros sententiam dicat, quae, aequatis suffragiis, praevaleat.

CLXXXVII. — Sententiarum per suffragia dicendarum complures solent esse causae : si de officialibus, cum Capituli generalis tum Congregationis, eligendis agatur; si de rebus gravioris momenti aut quae ad Superiorem generalem et Congregationis officiales pertineant, censendum sit; denique si, deliberatione de re qualibet habita, Capitulo generali ita placuerit.

CLXXXVIII. — Petitio nulla accipiatur nisi maior pars suffragiorum ei faverit; quae maior pars tertiam partem omnium legatorum saltem comprehendat; sunt tamen quaedam, suo quaeque loco annotata, quae accipi nequeant nisi legatorum dimidio et uni amplius placuerint.

CLXXXIX. — Petitio quaelibet quae eo pertineat ut lex a praecedente capitulo lata aut antiquetur aut subrogetur ne accipiatur nisi legatorum duplex triens ita censuerit. Est autem providendum ut legis antiquandae vel subrogandae, antequam in suffragia eatur, mentio fiat.

CXC. — Legati taceant ea quae apud Capitulum generale acta fuerint.

CAPUT II.

De Superiore generali.

CXCI. — A prima Congregationis nostrae origine statutum est ut omnes domus nostrae sub Superioris generalis et Episcoporum (iuxta modos apud sacros canones et constitutiones apostolicas statutos) auctoritate sint.

CXCII. — Superior generalis ad decennium et a Capitulo generali eligatur; et pro eius confirmatione ad aliud decennium recurratur ad Sanctam sedem.

CXCIII. — Nemo Superior generalis eligi pos-

sit nisi annos natus sit quadraginta, sexque annos, a sacerdotio, in Congregatione exegerit.

CXCIV. — De Superiore generali eligendo per secreta suffragia agatur, et ille electus intelligatur cui suffragiorum duplex triens faverint.

CXCV. — Recensitis votis, cum legati tum presbyteri domus in qua Capitulum habetur, novum Superiorem generalem, si adfuerit, salutaturi ab eoque osculum sanctum accepturi, conveniant. Postea in sacellum omnes, hymnum *Te Deum* recitaturi, congregentur.

CXCVI. — Res omnes Congregationis seu internas sive externas, Superior generalis, de voto consilii sui, administret. In iis autem rebus de quibus consilii generalis membris per suffragia praecise statuendum erit, maiore suffragiorum numero statuatur.

CXCVII. — Superior generalis, si justa causa fuerit, dispensationem constitutionum ad tempus uni vel alteri indulgeat.

CXCVIII. — Toto tempore quo Capitula generalia habentur, Superioris generalis consiliique generalis potestas cesset. Superior autem generalis Capitulis generalibus iure suo praesideat usque ad novam electionem.

CXCIX. — Superiori generali regimen nullam ob causam auferatur, nisi gravissimae alicuius culpae manifeste reus factus fuerit.

Quae si ita fuerint, tres Assistentes recurrent ad sanctam sedem, quae, prout opportunum fuerit, providebit.

CAPUT III.

De Assistentibus.

CC. — Assistentes tres sint numero et a Capitulo generali eligantur.

CCI. — Unusquisque Assistentium per schedas separatim eligatur.

Ille autem electus censeatur cui suffragiorum dimidium et unum amplius faverint.

CCII. — Si forte, suffragiis bis datis, ne unus quidem candidatorum legitima suffragia obtinuerit, tunc, suffragiis, inter duos candidatos qui maiorem numerum suffragiorum inter alios obtinuerunt, computatis, rursus dentur suffragia, et, si paritas fuerit, ille praevaleat qui plures annos a sacerdotali ordinatione in Congregatione vixerit.

CCIII. — Hoc est maxime optabile ut, si ullo modo fieri possit, ii solum Assistentes eligantur qui Consilio generali constanter adesse possint.

CCIV. — Complura sunt de quibus, per suffragia, Assistentibus deliberative censendum est : si qua domus aut instituenda fuerit aut derelinquenda ; si de aliquo novitio admittendo vel de aliquo iam admisso in congregationem adscri-

bendo aut ex eadem eiiciendo statuendum fuerit; si quis ad sacros ordines fuerit vocandus; si domus alicuius superior vel creandus fuerit vel ex munere amovendus; si quis graviore aliqua poena fuerit mulctandus, ita ut voce activa et passiva prohibeatur, aut sacras profanasve orationes habere, vel ea quae scripserit typis mandare vetetur; si denique, quod ad sumptuarias res attineat, in aes alienum fuerit incidendum, aut de aliqua re nummaria gravioris momenti decernendum, salvis in rebus omnibus praedictis, quatenus opus fuerit, praescriptionibus a sacris canonibus et constitutionibus ac decretis apostolicis statutis.

CCV. — Quinquennale sit munus Assistentium; id est a Capitulo quinquennali usque ad proximum Capitulum quinquennale continuetur. Idem munus iisdem in alterum quinquennium prorogari liceat; postea iidem, nisi interpositis quinque annis, Assistentes ne iam eligantur.

CCVI. — Si quis ex Assistentibus seu interierit seu in longum abesse coactus fuerit, Superior generalis e duobus candidatis a ceteris Assistentibus propositis unum eligat qui Assistentis defuncti vel absentis vicem interim expleat.

Licet ut Secretarius generalis sit alter ex candidatis propositis.

CCVII. — Si forte tres Assistentes sub idem tempus deficiant, Superior generalis S. Congre-

gationi recurrat, ut quid agendum sit ab ea sibi innotescat.

CCVIII. — Si unus ex Assistentibus eo tempore interierit quo Assistentes, pro Superiore generali seu defuncto seu inhabili, Congregationem administrent, reliqui Assistentes unum, qui defuncti vices expleat, eligant; de quo eligendo si forte non consenserint, Procuratorem generalem sibi socium adsciscant qui ad electionem Assistentis cum iis procedat.

CCIX. — Assistentes iure suo participes sint Capitulorum generalium.

CCX. — Assistentes in qualibet Congregationis nostrae domo, post eiusdem domus superiorem, principem locum obtineant; alias superiores domorum antecedant.

CAPUT IV.

De Visitatoribus.

CCXI. — Visitatores a Capitulo generali eligantur eodem ritu quo Assistentes.

CCXII. — Visitatores, in domo qualibet visitanda, qua mente sint nostri in ea degentes, et quae sit eorum cum religio tum sanctitas compertum habeant.

Quae ad divinas res adhibentur ea sedulo inspiciant; necnon et exigant rationes sumptuarias.

Apud unumquemque visitator complura privatim inquirat : qua scilicet valetudine uti soleat; quae ei praecipue sint in votis; vel qua sit religione aut sanctitate; praeterea num quid proponendum habeat quod possit publico bono inservire; aut quae emendanda censeat.

Postea et superiori et privatis quae utilia videantur significet.

Quae de generali domus statu animadverterit, ea in libro notet quod ad id usurpari solet.

CCXIII. — Sub inspectionis finem, congregatos omnes nostros, qui in domo munus quodlibet gerunt, quaecumque aut animadvertenda aut in melius traducenda notaverit, ea praemoneat.

CCXIV. — Visitator, in actu visitationis, domus superiorem antecedat; sin aliter secundas agat.

CCXV. — Visitatores qui a Capitulo generali electi fuerint, proximi Capituli generalis iure suo sint participes.

CAPUT V.

De Procuratore generali.

CCXVI. — Procurator generalis, post Assistentes et Visitatores, sed eodem ritu, a Capitulo generali eligatur.

CCXVII. — Procurator Congregationis res nummarias, audito consilio generali, gerat.

CCXVIII. — Novo quoque anno, de rationibus Congregationis sumptuariis ad consilium generale referat; quae relatio inscribatur consilii generalis actis.

CCXIX. — Ineunte Capitulo quoque generali, Procurator generalis scripta in medio ponat, in quibus Congregationis res nummariae quemadmodum sint et quomodo eas procuraverit, exponatur. Commissio deinde capitularis, si locus fuerit, instituatur, quae subtiliores rationes a Procuratore generali exigere possit.

CCXX. — Procurator generalis in consilium generale vocetur quotiescumque de re qualibet sumptuaria agendum fuerit, et eodem iure suffragii fruatur quo Assistentes.

Postquam autem ea de re deliberatum fuerit, recedat.

CCXXI. — Capitulorum generalium iure suo particeps sit Procurator generalis.

CCXXII. — In locum Procuratoris generalis defuncti Superior generalis et Consilium generale alterum sufficiant qui, postquam res usque ad proximum Capitulum generale procuraverit, huius Capituli iure suo, sit particeps.

CCXXIII. — Ne unquam in quacumque Congregationis domo Procurator generalis sit dispensator.

CCXXIV. — Procurator generalis praecipuum

in Congregatione gradum, pro munere suo, ne obtineat.

CAPUT VI.

De Secretario generali.

CCXXV. — Secretarius generalis post Procuratorem et eodem ritu eligatur.

CCXXVI. — Consilii generalis particeps sit, cuius acta in libro ad id destinato perscribat.

CCXXVII. — Ius ei concedatur de re qualibet ad Consilium relata quid sentiat aperiendi. Si vero aut de aliquo e nostris ex Congregatione eiiciendo, aut de Superiore ex munere amovendo deliberatum fuerit, ius ei fiat, per suffragium deliberative censendi.

CCXXVIII. — Ei cura demendetur in tabulario recondendi Consilii generalis acta, Superioris generalis mandata litterasque ad res Congregationis pertinentes, librosque in quibus ea reperias quae cum ad res privatorum tum ad Congregationem respiciant.

CCXXIX. — Quaecumque consilium generale censuerit, iis ad quos res censitae pertineant, auctore tamen eodem consilio, significet, necnon et quae Superior generalis seu praeceperit seu statuerit nota faciat.

CCXXX. — Superioris generalis mandata litterasque nomine suo consignet.

CCXXXI. — Novo quoque anno, actis consilii generalis inserat nomina nostrorum qui in singulis Congregationis domibus versantur, quasque rationes Procurator generalis ad consilium generale retulerit.

CCXXXII. — Domui unicuique nomina eorum demittat qui in singulis Congregationis domibus versantur.

CCXXXIII. — Cum tempus postulat ut proximo Capitulo generali provideatur, tabulas comitiales, prout superius dictum est, ad domum unamquamque, tempore legitimo, mittendas curet.

CCXXXIV. — Secretarius generalis praecipuum in Congregatione gradum, pro munere suo, ne obtineat.

CCXXXV. — Si mors Secretarii generalis intervenerit, Superior generalis et consilium eius alterum in mortui locum sufficiant qui idem munus usque ad proximum Capitulum generale expleat.

CAPUT VII.

De consilio generali.

CCXXXVI. — Consilii generalis participes sint : Superior generalis, Assistentes, Procurator generalis, si vocatus fuerit, Secretariusque generalis.

CCXXXVII. — Absente Superiore generali praeses sit primus Assistentium.

CCXXXVIII. — Superiorem generalem, id si utile visum fuerit, liceat non solum domorum superiores in consilium generale vocare, verum etiam illum e nostris quicumque, de re qualibet apud consilium habenda, utiliter consuli possit. Iis autem qui ita in consilium vocati fuerint ius per suffragium censendi denegetur, neve posterius consilio, nisi rursus vocati, adesse possint.

CCXXXIX. — Unaquaeque consilii generalis sessio ita habeatur ut, solitis precibus actisque superioris sessionis, si opus fuerit, perlectis, res ad consilium, suo quaeque ordine, prout praeses eas ita ordinaverit, referantur; deinde quicumque consilio adfuerit, ea quae visa fuerint, disputanda proponat.

CCXL. — Si de re aliqua per suffragia deliberative censendum fuerit, ea sententia praevaleat cui plures suffragati fuerint.

CCXLI. — Postquam autem de re qualibet alia ad consilium relata deliberatum fuerit aut etiam per suffragia censitum, ad Superiorem generalem disceptatio reiiciatur.

CCXLII. — Ne quis reus, praesertim si pro se dicere postulet, inauditus graviore poena afficiatur.

CCXLIII. — Si res aliqua quae unius e domibus nostris magni intersit ad consilium generale relata fuerit, eiusdem domus superior et omnes

in ea degentes qui utiliter consuli possint, in consilium, quid sentiant aperturi, re etiam integra, vocentur.

CCXLIV. — Capitulo generali habito, consilium generale iis rebus haud cunctanter operam det quae curanda mandaverit Capitulum generale.

CCXLV. — Consilio generali ius sit novas leges ferendi quibus parendum sit, donec proximum Capitulum generale statuat de iis accipiendis vel antiquandis.

CCXLVI. — Quicumque consilio generali seu iure suo seu aliter adfuerint, ea quae acta fuerint secum habeant.

CCXLVII. — Consilium generale saltem singulis mensibus, nisi ita fieri non possit, est cogendum.

PARS III.

De religiosis exercitiis apud nos habendis.

CAPUT I.

De precibus matutinis.

CCXLVIII. — Hora dicta e lecto surgendum est. Statim excitati Deum adorabimus.

CCXLIX. — Omnes deinde conveniant in oratorio ubi matutinae preces communiter recitandae sunt.

CAPUT II.

De mentali oratione.

CCL. — Una hora ad mentalem orationem post preces matutinas quotidie adhibeatur.

CCLI. — Attamen quo facilius sancto huic exercitio indulgeatur, cuius immunitatem nemini concedi fas sit, unicuique mentalis orationis tempus, si placuerit, ita bipartire liceat ut, mane et vespere, semihoram in id conferat. Vespertina autem semihora, si in sacello coram Sanctissimo Sacramento traducta fuerit, orationis ante Sanctissimum Sacramentum quotidie habendae locum obtineat.

CAPUT III.

De sancto missae Sacrificio.

CCLII. — Novitiatus tempore diaconi et presbyteri Sanctissimi Sacrificii rubricis cerimoniisque ediscendis impensam operam dent, ita ut rite, expedite religioseque celebrare valeant.

CCLIII. — Item Congregationis nostrae presbyteri, tempore spiritualium exercitiorum quae quotannis habentur, easdem rubricas diligenter perlegant.

CCLIV. — Oratorii sacerdotes Sanctissimum Sacrificium celebraturi ad altare, nisi praeparati, accedere ne audeant.

CCLV. — Iidem sedulo caveant ne Sanctissimum Sacrificium aut praepropera festinatione dedecorent, aut nimia tarditate in longius trahant, ad id attenti ut circiter dimidium horae in celebrando consumant.

CCLVI. — Gratiarum actio saltem per horae quadrantem et, si fieri possit, aliquantisper amplius producatur.

CCLVII. — Quicumque vero e nostris nondum sacerdotes ordinati fuerint, quotidie, sacerdoti Sanctissimum Sacrificium celebranti summa reverentia administrent.

CAPUT IV.

De breviario.

CCLVIII. — Novitii breviarii rubricis quam diligentissime studeant.

CCLIX. — Qui vero breviarium recitare debemus maxime enitamur ut *digne*, *attente* ac *devote* recitemus.

CAPUT V.

De particulari conscientiae examine.

CCLX. — Particularis conscientiae examen circiter meridiem communiter habetur. Unusquisque, posteaquam versiculos aliquot Novi Testamenti, capite nudato flexisque genibus, legit, conscientiam suam diligenter excutiat.

CAPUT VI.

De oratione coram Sanctissimo Sacramento quotidie habenda.

CCLXI. — Unusquisque e nostris coram Sanctissimo Sacramento quotidie privatim orare debet. Quae oratio saltem per horae quadrantem continuetur.

CCLXII. — In novitiatu haec oratio per semihoram, diebus quibusdam ferialibus exceptis, producitur.

CAPUT VII.

De sacrae Scripturae et theologiae studio.

CCLXIII. — In sacrae Scripturae et theologiae studio operae quam plurimum consumant nostri, quippe qui, non in volendo minus quam in agendo, perfectioni status sacerdotalis omnino incumbere debeant.

CCLXIV. — In Scriptura sacra legenda, quotidie saltem horae quadrantem traducant, ita ut, utrumque Testamentum quotannis perlegere et hoc verbo, quod procedit ex ore Dei, enutriri consuescant.

CAPUT VIII.

De spirituali lectione.

CCLXV. — Lectio spiritualis, diebus quibus communiter habetur, per semihoram continuabitur.

CCLXVI. — Ceteris diebus, unusquisque, per horae quadrantem et paulo ultra, spirituali lectioni privatim indulgeat.

CCLXVII. — In novitiatu, spiritualis lectio quotidie communiter et per semihoram, diebus quibusdam ferialibus exceptis, habebitur.

CAPUT IX.

De spiritualibus colloquiis.

CCLXVIII. — Studeant nostri in colloquia spiritualia non nunquam venire, quippe cum istiusmodi colloquia praecipuam vim habeant ut adaugeant internam vitam rerumque divinarum inteligentiam.

CCLXIX. — Quae colloquia in minoribus seminariis et collegiis die quoque quinto decimo habeantur; in ceteris autem domibus sint hebdomadalia.

CCLXX. — Spiritualia colloquia, eo die quo habentur, recitationis spiritualis locum obtineant.

CAPUT X.

De die spiritualis exercitii singulis mensibus habendi.

CCLXXI. — Singulis mensibus, pro una die, omnes nostri spiritualibus exercitiis vacent.

CCLXXII. — Pridie huius diei, post vespertinas preces, hymnus *Veni creator*, ad Spiritus Sancti auxilium implorandum, recitetur.

CCLXXIII. — Ipso autem die, in meditando, ad ultimos fines nostros aut ad aliquod ex sacerdotalibus officiis — mentalem orationem scilicet, vel Sanctissimum Missae Sacrificium, vel peccato-

rum confessionem, aut alia uiusmodi, — animum potissimum referri expedit.

CCLXXIV. — Particulare conscientiae examen hac die paulo ultra horae quadrantem prorogetur, ita ut unicuique facultas fiat mensem elapsum accurata consideratione excutiendi.

CCLXXV. — Priusquam coenetur, omnes, in sacello ubi Augustissima Eucharistia (si tamen indultum habeant ab apostolica sede) custoditur una congregati, postquam de morte meditati fuerint, sese mortem bono animo excepturos, verbis praescriptis profiteantur, precesque recitent de bona morte obtinenda.

CCLXXVI. — Intra hunc diem unusquisque sese introrsus ut cum maxime reducat.

CAPUT XI.

De spiritualibus exercitiis quotannis habendis.

CCLXXVII. — Omnes Congregationis nostrae presbyteri per integram hebdomadam spiritualibus exercitiis quotannis indulgeant.

CCLXXVIII. — Quae exercitia in unaquaque Congregationis domo, quantum fieri possit, communiter habeantur.

CAPUT XII.

De constitutionibus perlegendis.

CCLXXIX. — Constitutiones nostrae, in una-

quaque domo, mense Octobri, quotannis palam legantur, quae lectio occasionem unicuique praebeat sanctitatis et obedientiae studium in se ex integro excitandi.

CCLXXX. — Omnibus Congregationis nostrae sodalibus summopere suadetur ut constitutiones nostras frequentius privatim perlegant.

CAPUT XIII.

De rosario.

CCLXXXI. — Unusquisque nostrum rosarium quotidie recitet, aut saltem tertiam partem rosarii.

CAPUT XIV.

De vespertinis precibus.

CCLXXXII. — Vespertinae preces quotidie, antequam dormitum eatur, communiter recitentur.

CCLXXXIII. — Unusquisque postquam in cellulam suam sese receperit et antequam cubet, crastinae meditationi praeparandae aliquid temporis impertiat.

CCLXXXIV. — Hora nona aut saltem decima, pro uniuscuiusque domus necessitate, lumina extinguantur.

CAPUT XV.

De Mortificatione.

CCLXXXV. — Vigiliis Solemnitatis Iesu, Sancti Philippi Nerii et Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, ieiunium in omnibus Congregationis domibus servetur.

CCLXXXVI. — Feria sexta singularum hebdomadum, in memoriam passionis Domini Nostri Iesu Christi, et feria quarta cinerum, intra tempus quod in animis recreandis, vespere post caenam, consumi solet, silentium habeatur.

CCLXXXVII. — Quae lex, feriis sextis intra octavas Immaculatae Conceptionis, Nativitatis Domini, Sancti Nominis Iesu, Sancti Iosephi, Resurrectionis, Pentecostes, Sancti Petri, Sancti Philippi Nerii, et quotiescumque festum duplex primae vel secundae classis in feriam sextam vel sabbatum inciderit, dispensetur.

CCLXXXVIII. — Feria sexta Maioris hebdomadis silentio tota traducatur.

CCLXXXIX. — Congregationis sodalibus magnopere suadetur ut re aliqua in victu potuve, inter caenandum, se ipsi defraudent.

CCXC. — Licet nulla castigatio corporalis Congregationis nostrae sodalibus peculiariter praecipiatur, verumtamen huiusmodi castigationes

apud nos maxime adhiberi necesse est, quippe qui aeque cum Domino Nostro Iesu Christo coniuncte vivere debeamus.

CCXCI. — Ne tamen carnem nostram, sive parcius prae ignavia sive immoderatius prae superbia aut nimia elatione castigemus, ea de re inter nos directoremque nostrum ab initio conveniat.

PARS IV.

Quibus operibus Congregatio Oratorii Ecclesiae inservire intendat.

CAPUT I.

De Congregationis nostrae domibus.

§ 1. *Quomodo domus nostrae ordinentur.*

CCXCII. — Suus est unicuique domui superior, qui a Superiore generali cum suo consilio eligitur.

CCXCIII. — Cum superiorum officia erga eos quos sub potestate habent iam ante disputata fuerint, pauca hic subiicere sat erit.

CCXCIV. — Superioribus facultas denegatur nostros, de domo qualibet in aliam, iniussu Superioris generalis, transferendi.

CCXCV. — Superiores faciant ut meminerint sibi solum ius esse cavendi ne res quascumque sub potestate habeant aliquid detrimenti capiant; quamobrem iisdem aedificia struere vel excidere, aut in aes alienum incidere, onerave suspicere, minime liberum est; quae omnia competunt Superiori generali cum eius consilio.

CCXCVI. — Superioribus adiungitur consilium

quod saltem tribus et ad summum quinque membris, cum superiore, constat. Quae membra a Superiore generali eiusque consilio eliguntur.

CCXCVII. — Consilium, alternis saltem mensibus et quotiescumque membrorum maior pars id petierint, est cogendum.

CCXCVIII. — Anno quoque ineunte ratio impensarum quae praevideri solent, in unaquaque Congregationis domo, ad consilium referetur. Si domus ad Congregationem pertinet, de impensis praevisis consilium per suffragia deliberative decernit. Sin aliter, consilii membra consultative solum audienda sunt.

In minoribus seminariis et in collegiis, de discipulis amovendis consilium per suffragia deliberative statuet.

Quod idem fiet de discipulis admittendis, si superiori in dubio fuerit utrum admittendi sint necne.

Superior eos, qui in domo sunt, aliquando congregatim advocet res domesticas eaque cum eis communicaturus quae aut emendanda videantur aut in melius traducenda.

CCXCIX. — Ratio impensarum Procuratori generali quotannis redditur, quam referat ad Consilium generale.

CCC. — Superiores non licet grave quodlibet munus, sine bona Superioris generalis venia, extra domos suas obire.

CCCI. — In unaquaque domo, aliquis e nostris a Superiore generali, superiore domus consulto, eligatur, qui superioris absentis vices possit adimplere.

CCCII. — In unaquaque domo, quantum fieri poterit, dispensator eligetur qui, superiore duce, pecunias ad victum quotidianum necessarias impendat, et, tertio quoque mense, sumptuarias rationes referat ad superiorem domus eiusque consilium.

CCCIII. — Superiores sedulo curabunt ut eorum qui aut senectute gravati aut morbo aliquo impliciti fuerint necessitatibus provideatur, et, quantum fieri possit, obsequia celeriora sint postulatis.

CCCIV. — Dispensator, aut alius quem superior elegerit, operam dabit ut familia domestica religionis veritates edoceatur.

CCCV. — Denique superior quibusdam e nostris curam demandabit sacristiae, bibliothecae, tabularii librique memorialis.

CCCVI. — Tabularium ita constituendum est : syngraphae et chartae quaecumque ad domus res pertinent, in armario quodam, sub clavi, reponentur, ex quo nihil, nisi bona Superioris venia, expromere licebit. Si quis autem, quamlibet e chartis mutuatus fuerit, et nomen eius et dies commentario ad id adhibito inscribentur.

Repertorium tabularii scribetur.

CCCVII. — Pro domus uniuscuiusque facultate, superiores enitentur bibliothecam conficere libros colligendo qui ad studium scientiarum cum sacrarum tum profanarum necessarii sunt.

Libri prohibiti sub clavi erunt.

Index librorum omnium qui in bibliotheca sunt scribetur et in singulos dies continuabitur.

Omnis liber quicumque utendus tradetur, in libro ad id adhibito est inscribendus.

CCCVIII. — Ille cui cura demandatur librum memorialem conficiendi, res omnes, quae intus agentur, commemorabit : qui et quam multi in domo sint, novo quoque anno, inscribet, et quibus temporibus unusquisque in Congregationem venerit et adscriptus fuerit, sacrosve ordines receperit, domumque ingressus fuerit, et quae munera ibi obierit. Si quis, intra annum, domum introierit aut ex eadem egressus fuerit, aut ad novum munus vocatus fuerit, haec quoque libro memoriali inscribenda sunt. Defunctorum ibidem mentio fit.

CCCIX. — Archetypa bullarum, brevium decretorumque a Summis Pontificibus Congregationi nostrae irrogatorum, et scriptorum omnium quae ad res Congregationis pertinent, in tabulario domus quam inhabitat Superior generalis, sub tribus clavibus, reponentur. Quarum clavium una a Superiore generali, aut, ipso absente, a domus superiore servabitur, alia a primo Assistente, ter-

tia denique a Secretario generali. Si vero casu accidet ut primus Assistens aut Secretarius generalis non eamdem domum inhabitent quam Superior generalis, consilium generale alios eliget quibus, eorum loco, claves permittantur.

In eodem tabulario exempla reponentur actorum ad domos nostras spectantium.

CCCX. — Superior tabulae inscribet, in prospectu ponendae, spiritualia onera quae domus cui praeest contraxerit.

§ 2. *De domibus aut instituendis aut derelinquendis.*

CCCXI. — Antequam nova domus instituatur, ante omnia necesse est ut loci Ordinarius annuat nosque sinat sacellum aperire in quo Sanctum Missae Sacrificium ceteraque Ecclesiae officia celebrare nec non et poenitentiae sanctaeque Eucharistiae sacramenta fidelibus largiri, sub episcopali auctoritate, valeamus, salvo apostolico bene placito pro novae domus canonica erectione.

CCCXII. — Superior generalis domum quamlibet recentem uni e mysteriis Domini Nostri Iesu Christi dedicabit; cuius mysterii imaginem, novae domus superior, quantum fieri potest, in conspectu ponendam curabit, ne huius dedicationis memoria religioque inde exorta, primum elanguescant posteaque, temporis diuturnitate, aboleantur.

CCCXIII. — Domus quaelibet an derelinquenda sit, Capitula generalia aut consilium generale, ut ratio temporis postulabit, discutient.

Attamen huiusmodi consilium, nisi ob gravissimas causas, ne unquam ineatur et habito prius apostolico beneplacito. Maxima praeterea diligentia adhibenda est ne quo modo cum loci Ordinarius, tum ii quicumque domus aut instituendae aut augendae auctores fuerint, contumeliose vel contra ius habeantur.

CAPUT II.

De praedicatione.

CCCXIV. — Praedicatores libros sacros et praesertim sancta Evangelia penitus percognoscant et quotidiana meditatione altius scrutentur.

CCCXV. — Non minus necesse est praedicatores acerrima fide et caritate adeo obstringi ut eadem Iesu Christo ex animo dicere possint quae Apostoli : « *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* »

CCCXVI. — Denique praedicatores nostri sanctos patres, theologosque et eloquentiae sacrae magistros assidue pervolutent oportet. Iidem presse et enodate dicere enitantur. Quae si ita fuerint, tres in dicendo laudes facilius obtinebunt quae a sacris oratoribus, nostra praesertim aetate, requiruntur : simplex scilicet dicendi genus usur-

pabunt, cum magis ac magis exacti sint audientium animi et omnibus eloquentiae flosculis inimici; magna vi in dicendo utentur, quippe cum ingeniorum segnities et inconstantia regno Dei, nostro aevo, maxime adversentur; mansuetudinem denique caritatemque adhibebunt, ne, dum erroribus vitiisque obviam ire student, audientes offendant.

CCCXVII. — Neminem extra domos nostras praedicare liceat sine bona venia superioris domus quam inhabitat et Ordinarii loci.

CAPUT III.

De confessione peccatorum et animarum regimine.

CCCXVIII. — Quae de domino nostro Iesu Christo cognoscendo et amando praedicatoribus superius praescripta sunt, eadem et sacramenti poenitentiae ministris apprime competere manifestum est, cum poenitentiae sacramentum ad id institutum sit ut supernaturalis vita rursus infundatur. Poenitentiae enim minister theologiae moralis studio praecipue incumbere debet, quo facilius subtiliores nodos, quibus conscientiae saepius implicantur, expedire possit, poenitentesque instruere et dirigere.

CCCXIX. — Quae si ita se habebunt, fratres quoslibet prodeuntes, eadem reverentia benignaque caritate, omni personarum discrimine remoto,

excipiemus, cum, qualiscumque sit eorum conditio, id solum pretii prae oculis nostris habeant ut Iesus Christus eos proprio sanguine redemerit. Nec aptius quidquam peccatores ad resipiscendum adducet iustosque ad perfectionem.

CCCXX. — Tota autem cura ministri poenitentiae in hoc tantummodo versabitur ut Iesum Christum informet in animis sibi commissis, easque et vitia deponenda et officia obeunda edoceat; earumdem infirmitatem adiuvandam bonamve voluntatem et augendam et regendam curabit; pro uniuscuiusque virtute convenientia adhibebit, nedum omnes iisdem artibus tractare velit.

Nihil autem quod ad alias res attineat curare debet. Si quidem sacrarum virginum conscientias diriget, non commitet ut monasterii negotiis sese ipse immisceat, aut aliquid in constitutionibus immutet, vel ius superioris praecipiat. Si vero laicorum conscientias diriget, diligenter attendet ne in familiarum consuetudines sese insinuet, aut domesticis rebus se inserat; nuptias nullo modo conciliabit neque testantium voluntates praeoccupare enitetur.

CCCXXI. — Nemo poenitentiae sacramentum cuilibet administrare possit, nisi, testimonium quoad scientiam et mores a Superiore generali ac approbationem ad hoc ab Ordinario loci impetraverit.

CCCXXII. — Nemo ad recipiendas mulierum

confessiones exponatur, nisi, triginta annos natus, a Superiore generali et ab Ordinario loci specialem facultatem obtinuerit.

CAPUT IV.

De scientiarum studio.

CCCXXIII. — Si quis in nostra Congregatione ingenio fuerit ad altiores disciplinas habili, illi tempus facultasque concedantur scientias excolendi; quae res, nostris praesertim temporibus, maxime officii esse videtur, cum impii auctores, sub umbra scientiae, religionem nostram in dies audacius aggrediantur.

CCCXXIV. — Non est in incerto sacras scientias, scripturam sacram scilicet, theologiam Ecclesiaeque historiam esse prius habendas; cum autem in religione oppugnanda nihil inexpertum relinquatur, et multi sint, sanctae Ecclesiae inimici, qui saepius iactitent scientiam esse laicorum provinciam, presbyteros nostros in studiis scientiarum cum physicarum tum naturalium, profanaeque historiae et linguarum litterarumque quae apud antiquos viguerunt, versari necesse est.

CCCXXV. — Praeterea, in quaecumque studia incumbant Congregationis nostrae presbyteri, a scientia qua inflentur abhorrebunt et totum eorum studium a divina caritate proficiscetur.

CCCXXVI. — Unde tres virtutes in se praeser-

tim fovendas curabunt : humilitatem scilicet, obedientiam modestiamque.

CCCXXVII. — In rebus dubiis ea libertate utentur quae fidelibus per sanctae Ecclesiae leges permittitur, non ea tamen ratione ut se insolentibus opinionibus spectabiles, prae superbia, praebeant, sed quo melius, in rebus scrupulosius scrutandis, procedant ad veri cognitionem.

Si vero de scientiis recentioribus agitur quibus id quod constat inter omnes labefactari possit, per invia nisi caute et diffidenter non progredientur.

CCCXXVIII. — Nemo librum edere possit quem Superior generalis aut duo alii, quos elegerit, non adprobaverint, nec typis mandari possit nisi Ordinarii licentia prius obtenta.

Tria requiruntur ut aliquis e nostris in diariis aut ephemeridibus quibuslibet quidquam, auctor nomen celet necne, edere possit : Superior generalis rite moneatur. — A superiore domus quam auctor inhabitat licentia detur. — Scriptum, antequam typis mandetur, eidem superiori domus adprobetur.

CAPUT V.

De minoribus seminariis et de collegiis.

§ 1. *Generalia quaedam.*

CCCXXIX. — Congregatio Oratorii, pro prae-

sentis temporis necessitatibus, de sancta matre nostra Ecclesia bene mereri existimat pueros in minoribus seminariis ad sacerdotium informando.

CCCXXX. — Congregatio nostra collegia quoque administranda suscipere poterit. Puerorum enim et juvenum institutio digna est quae a sacerdotibus usurpetur, cum viri ita informentur qui, religionis nostrae veritatibus imbuti sanctaeque Ecclesiae, a teneris annis, cuniunctissimi, et verbo et exemplo, vulgus, efficacius quam ipsi sacerdotes, saepius moveant.

§ 2. *De pueris in minoribus seminariis instituendis.*

CCCXXXI. — Quod de Christiano ante omnia requiritur ut vir probus sit, id multo magis de sacerdote. Hic enim magno animo sit oportet, aut, nisi sponte naturae ita fuerit, fiat. Quam ob causam apud iuvenes qui ad sacerdotium vocantur imprimis alenda est magnanimitas, quippe qui, Christi vestigiis insistentes, sese Deo hostiam pro fratrum salute assidue olim praestituri sint. Ii igitur amoveantur qui se per sacerdotium ab humiliore loco ad superiorem conditionem evectum iri existiment, aut aliquem fructum inde percepturos.

CCCXXXII. — Iuvenes qui ad sacerdotium aspirant non minus necesse est optimis disciplinis excoli; id enim et Summis Pontificibus et conciliis tum generalibus tum provincialibus, iam inde

antiquitus in optatis fuit. Cum quidem Ecclesia et religio nostra, doctrinarum simulatione atque nomine, quotidie oppugnentur, sacerdotes minime deceat laicis omnem curam veritatis propugnandae demandare.

CCCXXXIII. — Imo non inutile fuerit sacerdotes non nullos in profanis scientiis ita versari ut appareat hanc provinciam non solis laicis competere. Quae res, sacerdotibus maiore in honore habendis, Ecclesiae et animorum saluti oblique profutura videtur.

CCCXXXIV. — Denique, in minoribus seminariis, discipuli nostri res gravioris momenti, quae ad Ecclesiam et civilem societatem, nostris temporibus, spectent, pro aetatis captu edoceantur, ne olim, prae omnium rerum externarum inscitia, et in pericula ipsi veniant et animarum sibi commissarum necessitates minus intelligant.

CCCXXXV. — Quae sacerdotalis institutio ab imitatione Christi et caritate tota proficisci debet, ita ut presbyteri qui ea imbuti fuerint, cum de gloria Dei et animarum salute unice solliciti sint, et repulsas infracto animo, et, quod multo difficilius est, humanas laudes sine nimia elatione, in sacri ministerii muneribus obeundis, ferre queant.

§ 3. *De pueris in collegiis instituendis.*

CCCXXXVI. — Qui, in collegiis, pueris instituendis operam dant, quamvis discipulorum ani-

mos ad finem sacerdotio humiliorem intendant, ii tamen in sublimi officio constituuntur, de quo rationes reddent apud Deum et hominum societatem. Viros enim informare debent qui de Ecclesia et civili societate bene mereantur.

CCCXXXVII. — Puerorum animis christianas virtutes, a teneris annis inserantur oportet, quas aetatis progressu, gratia adiuvante, excolere debent.

§ 4. *Qua mente magistri esse debeant.*

CCCXXXVIII. — Qui in minoribus seminariis collegiisve nostris munus quodlibet exercent, ne unquam obliviscantur se grave onus suscepisse.

Non nullae virtutes eis praecipue colendae sunt :

CCCXXXIX. — Studium, quo sese operi suscepto et pueris sibi commissis totos dicent.

CCCXL. — Pueros deinde diligant, magnopere oportet. Quis enim, nisi pueros dilexerit, eorum totus esse aut defectus patienter ferre poterit, vel cum in puniendo, tum in remunerando, ut eis prosit, unice laborare ? Si vero magister discipulos suos non amaverit, sibi invicem oneri erunt, unde magister exacerbari incipiet poenasque inconsulte irrogare ; pueri autem in malam voluntatem labi, nec iam magistro fidere, nedum eius consiliis pareant et fiant meliores.

CCCXLI. — Nemo autem id aequanimitatis obtinere potest sine Dei auxilio et longo usu. Quam ob causam presbyteri nostri, qui in pueris instituendis occupantur, de propria perfectione valde solliciti esse debent et religiosorum officiorum quae in Constitutionibus nostris praecipiuntur observantissimi. Quae res eis eo utilior erit quo saepius studiis rerum profanarum, pro munere suo, vacaverint.

§ 5. *De magistrorum officiis erga superiorem.*

CCCXLII. — Cum magistri obedientiam ab aliis exigere ipsi debeant, eos superiori suo ex animo parere necesse est.

Superiorem igitur Dei vices gerere existimabunt, eaque quae jusserit pro divina voluntate, qua officia sua moneantur, habebunt.

Parum contenti ut superiori obediant, illi, difficultates suas inter, praesto esse curabunt.

CCCXLIII. — Si qua res in dubio fuerit, quae sentiant libero ore aperire poterunt, sed reverenter, et a propria sententia, ut in meliorem perducantur, discedere semper parati, imperataque, placeant displiceantve, exsequi.

CCCXLIV. — Superiorem observantia colere eumque onere, pro sua parte, sublevare gaudebunt, muneraque extraordinaria, quae ab ipsis, ob communem utilitatem requirat, libenter obire.

§ 6. *De officiis magistrorum erga collegas.*

CCCXLV. — Ut in rebus omnibus concordia necessaria est multo magis in domibus ubi pueri instituuntur; quae ea tantum conditione conciliabitur ut magistri omnes concordi sint animo. Fratres igitur christiana caritate diligere, multa multis de suo iure cedere, invicem vitia sua tolerare, id omne iis qui in instituendis pueris versantur peculiare officium habendum est.

CCCXLVI. — Se obsequenter et amice invicem habebunt; quis enim nescit pueros discordias inter magistros suos ortas facile suspicari, idque gravem habere offensionem?

CCCXLVII. — Imo maxime abstinebunt, coram discipulis, aut inter se verbis laedere aut se invicem detrectare, vel discipulis concedere ut de magistris irreverenter loquantur.

CCCXLVIII. — Nunquam denegabunt, nisi re aliqua impediantur, collegae, qui id ab iis petierit, locum tenere.

CCCXLIX. — Certamen de auctoritate cum collegis nunquam inibunt, cum id eis persuasissimum esse debeat ut ille solertior sit et maioris animi qui ultro secundas agat.

CCCL. — Presbyteri Oratorii magistris, qui non sunt Congregationis nostrae, benigne et amice utentur; illis autem maximi officii est familiares

suos inter eos eligere qui, cum ad eamdem Congregationem pertineant, iisdem regulis tenentur.

CCCLI. — Res ad Congregationem vel ad domum quam inhabitant spectantes, secreto custodiant.

§ 7. *De officiis magistrorum erga discipulos.*

CCCLII. — Triplex est magistrorum officium erga discipulos; magistri enim debent pueros ad pietatem informare eosdemque erudire et emendare.

§ 8. *De pueris ad pietatem informandis.*

CCCLIII. — Id aptissimum est ad pietatem pueros efficaciter edocendam, ut ille pius sit qui docet. Quamobrem presbyteros nostros, qui in pueris instituendis occupantur, de propria perfectione valde sollicitos esse, ut iam antea diximus, necesse est.

CCCLIV. — Omnes artes adhibebunt quibus pietas pueris infundatur et infusa augeatur.

CCCLV. — Quarum artium efficacissima est frequens sacramentorum usus.

Poenitentiae praesertim sacramento sacerdos plurimum auctoritatis apud pueros habere valet et in animos adhuc teneros efficacius influere.

Pueri prodeuntes ut in confessionem audiantur admittendi sunt; est autem cavendum ne nimius

eorum numerus inhibeat unumquemque idonea cura haberi.

CCCLVI. — Pueri iuvenesque hortandi sunt ut Iesu Christi corpus frequentius recipiant; quod illis eo tempore maxime necessarium est quo ineuntis adolescentiae imperitia sollicitantur et novis voluptatum blanditiis.

CCCLVII. — Omnes Ecclesiae caerimoniae in minoribus seminariis collegiisve nostris ita celebrabuntur ut inde species adiiciatur rebus quibuslibet ad cultum divinum pertinentibus.

CCCLVIII. — Discipuli, dum solitae preces initio et sub finem exercitiorum lente et distincte recitantur, sese, genibus flexis, composite et reverenter habere consuescant.

CCCLIX. — Cathechismum pueri sunt docendi iuxta methodum ab Ordinario praescriptam, in domus sacello, ut eis compertum sit religionis nostrae cognitionem caeteris scientiis longe praestare.

CCCLX. — Studeant nostri ne pueris imparati praedicare audeant; ille enim vehementer erret qui putet sacras conciones minore diligentia egere quae apud pueros habendae sint.

CCCLXI. — Spirituales recitationes variis rationibus institui possunt : aut locus aliquis ex pio libro excerptus discipulis recitetur expliceturque; aut officia quotidiana urbanosque mores vel regu-

las quibus parendum sit discipuli doceantur; sermove de festo illius diei vel de solemnitate Ecclesiae mox celebranda habeatur, et alia huiusmodi.

CCCLXII. — Piis congregationibus iuvenum coetus mirum in modum informari possunt qui, apud studiorum consortes, quo meliores fiant, plurimum valeant. Ii autem congregationibus adscribi debent qui cum virtutibus tum studio bonaque voluntate apud condiscipulos iam aliquo sint in numero et honore.

CCCLXIII. — Maxime optandum est ut in unoquoque e minoribus seminariis collegiisve nostris, unum ex his sodaliciis instituatur quae, sub patrocinio Sancti Vincentii a Paulo, levandae indigentium inopiae student. Iuvenes nostri huic sodalicio adscripti, stipite inter condiscipulos coacto, pauperes, uno e magistris ducente, ipsi invisent.

Qua ratione bona iuvenum indoles propensaque in pauperes voluntas erigentur; iidemque e collegiis nostris egressi, facilius horum sodaliciorum participes fient quae sub patrocinio Sancti Vincentii a Paulo passim instituta sunt ut viri vere christiani et pauperibus auxilientur et se invicem provocent ad virtutem.

CCCLXIV. — Magistri denique prae oculis semper habeant religionem, cum usus sit quotidiani, ad res quaslibet adhiberi, et animis sexcentis artibus imprimi posse, sive pueri verbis stimulentur vel increpentur, aut res etiam profanas

edoceantur, eaque apud eos ponderentur quae in historia ediscenda occurrunt. Quae artes, quamvis certis praeceptis concipi nequeant, magistro semper in promptu sunt qui studet religionem et ipse colere et pueros sibi commissos edocere.

§ 9. *De pueris erudiendis.*

CCCLXV. — Presbyteri nostri qui in minoribus seminariis collegiisve professores sunt, nihil reliqui facient quominus munere suo perfecte fungantur. Quapropter scientiarum artiumque liberalium cognitionem in se alendam augendamque curabunt. Magnopere illis suadetur ut gradus in scientiis litterisque capessant.

CCCLXVI. — Antequam classem ineant, quae discipulis suis ediscenda aut elaboranda praescribere debeant providebunt, et quidquid emendandum sit in discipulorum suorum pensis pro viribus annotabunt, locosque auctorum explicandos, etiamsi ea se optime callere existiment, prius perlegent.

CCCLXVII. — A ratione studiorum quae in domibus nostris usurpatur minime discedent; haud tamen immemores erunt se opus quoddam fabrile non conficere, rationesque studiorum, quantacumque sit earum virtus, multo magis eo modo quo, pro uniuscuiusque facultate, adhibeantur, quam per se valere.

CCCLXVIII. — Iis artibus utentur per regulas

permissis ut pueri ad aemulationis studium provocentur; ignorare tamen nequeunt bonum magistrum sexcentis modis solertissimum esse ad acuendam discipulorum suorum audientiam.

CCCLXIX. — Denique magistrorum animis insitum sit oportet se non de puerorum intellectu solum, verum etiam de corde et indole sollicitos esse debere. Nemo enim vere dignus est qui in pueris erudiendis occupetur nisi cui perpetua cura est eorum animos et christianis sensibus imbuendi et ad res quaslibet generosas piasque erigendi.

§ 10. *De pueris emendandis.*

CCCLXX. — Pueri multis modis, pro uniusque natura, possunt emendari.

CCCLXXI. — Cum autem multi pueri, ad bonam frugem, nisi castigati, non redeant, iidem non nunquam castigandi sunt.

DECRETUM.

Sanctissimus Dominus noster Leo P. P. XIII, *in audientia habita ab infrascripto Domino Secretario S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 1 Iulii 1892, suprascriptas Constitutiones latino idiomate exaratas, prout in hoc exemplari continentur, cuius autographum in archivio eiusdem S. Congregationis asservatur, benigne approbare et confirmare dignatus est, prout praesentis Decreti tenore Constitutiones ipsae approbantur et confirmantur, salva ordinariorum iurisdictione, ad formam S. S. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.*

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 2 Iulii 1892.

*I. Card. Verga Praef*s.

Locus ✝ sigilli.

✝ *Ios. M. Arch. Caesarien. Secrius.*

DECRETUM.

Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 2 iulii labentis anni Constitutiones Congregationis Presbyterorum sub titulo Oratorii Iesu et Mariae immaculatae approbatae fuere. In his Constitutionibus statutum fuit Superiorem generalem in suo officio per decennium esse mansurum. Nunc Adulphus Aloisius Albertus Perraud, Episcopus Augustodunensis ac, de speciali Sanctae Sedis concessione, Superior generalis praefatae piae Societatis, enixis precibus a SSm̃o Domino Nostro Leone divina providentia Papa XIII postulavit ut officium Superioris generalis esset duraturum ad vitam. Sanctitas Sua in audientia habita ab infrascripto Secretario S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 16 decembris 1892, laudati Praesulis votis obsecundare desiderans, perspecta eius prudentia ac zelo ob gestionem negotiorum ipsius Instituti, necnon ob maximam utilitatem quam socii afferunt tam studiosae iuventuti quam ceteris Christifidelibus in animarum cura, Eum in munus Superioris generalis enunciatae Congregationis ad vitam confirmavit, ea tamen conditione ut hoc privilegium perduret usque ad eius vitae exitum. Vo-

luit praeterea Sanctitas Sua ut juxta Constitutiones habeantur comitia generalia pro aliorum officiorum electione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 21 decembris 1892.

*I. Card. Verga Praef*s.

Locus ✝ sigilli.

Ios. M. Arch. Caes. Secrius.

APPENDIX

AD

CONSTITUTIONES

APPENDIX

AD

CONSTITUTIONES.

Cum Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, ea quae sequuntur, utpote quae de methodis potius sint nec de regulis, ad directorium reiicienda sapienter iudicaverit, Consilio generali placuit eadem hic in appendice, post Constitutiones adprobatas, inserere, donec in directorio mox conficiendo locum obstineant.

§ 10. *De pueris emendandis* (Sequitur).

Hae sunt regulae in castigando servandae :

Pueri de culpis quas admittere solent saepius monendi sunt; multo enim praestabilius est culpas monendo arcere quam puniendo coercere.

Cavendum est ne maior poena quam culpa sit, neve iisdem de causis plectantur alii, alii vix appellentur.

Prohibenda autem maxime est ira in puniendo :

qui enim iratus accedet ad poenam, mediocritatem illam non tenebit quae est inter nimium et parum, propriamque auctoritatem franget, nedum confirmet.

Omnis animadversio et castigatio contumelia carere debet, ita ut puer qui castigatur id ad propriam utilitatem referri compertum habeat, magistrumque ad puniendum non iracundia aut ultione sed aequitate et caritate duci.

In collegiis nostris poenae sapienter definiuntur quas unumquemque, pro munere suo, iniungere licet; si vero magister quilibet poenam pro iure suo graviorem irrogare voluerit, illum adeat qui in puniendo plus potest, nedum iura sua transgrediatur.

Puer autem, poena persoluta, simultates omnes deponi plane intelligat, magistrosque eo semper esse animo ut poenitentibus ignoscant conantesque adiuvent.

Congregatio nostra magistros suos absolute prohibet, in pueris custodiendis, delatione uti, quippe cum satius sit plurima magistros ignorare, quae forsan cognitu utilia sint, quam ad istiusmodi artes confugere quibus delatorum animi minuantur, discipulique in malam voluntatem flecti soleant et inter se suspecti sint.

Ille autem muneri suo impar sit qui puerorum vitia coercere satis habeat.

Pueri enim bona indole praediti stimulandi sunt

et intentiore cura habendi ne necessitudinibus utantur quibus laedantur; iisdem animi sunt addendi et ad altiora in dies erigendi.

Qui ad sacerdotium aspirant saepius monendi sunt Deum maximo eos favore amplecti, quo ut digni fiant, et bona voluntate et enixa opera in officiis quibuslibet usurpandis utantur oportere.

Nullus intermittatur dies quin discipulis dictitetur pietatem non in exercitiis piis aut precibus frequentique sacramentorum usu solum poni, verum haec omnia eo pertinere ut meliores fiamus, neminemque esse vere pium quin omnibus officiis suis, quantulacumque sint, religiose fungatur.

Pueri igitur iuvenesque sic insuesci debent ut supernaturalibus de causis et obedientes sint et impigri, regulisque pareant propterea quod Dei voluntas per eas innotescat.

Le dimanche 16 juillet, fête de Notre-Dame-du-Mont-Carmel, on commencera une neuvaine de prières et de lectures qui se terminera le lundi 24 du même mois.

On récitera, à l'issue d'un des exercices de communauté, le *Veni creator* avec l'oraison *de Spiritu Sancto,* le *Sub tuum praesidium*, le *De profundis* suivi de l'oraison *Deus qui inter apostolicos sacerdotes.*

Chacun des membres de la Congrégation est en outre invité à lire en son particulier le chapitre XVII de l'Évangile selon saint Jean et le chapitre XVIII du premier livre de l'Imitation *De exemplis patrum.*

Veuillez agréer, mon cher et Révérend Père, l'expression de mon plus affectueux respect.

Par ordre de Monseigneur notre Révérendissime Supérieur général,

Henri Thédenat,
Secrétaire général.

II.

Bulle de Paul V instituant la Congrégation de l'Oratoire[1].

(10 mai 1613.)

Institutio Congregationis piorum sacerdotum, Oratorii Iesu Christi Domini Nostri nuncupandae, in regno Franciae, ab Henrico episcopo Parisiensi et Maria regina Francorum ad restituendam augendamque fidem catholicam promotae.

PAULUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, quam Dei unigenitus Iesus Christus Dominus noster, auctor ipse piorum operum, fundavit, regimini suprema dispositione praesidentes, pro nobis commissi gregis Dominici prospero statu et animarum salute solliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti, quae ad incrementum religionis pertinent, et ad virtutum spectant ornamentum, ac piae Christifidelium congregationes instituantur, et exinde uberiores fructus bonorum operum, in illis locis praesertim ubi id magis expedire dignoscitur, in dies per pia et spiritualia exercitia accrescunt, et iis exercitiis deditae ac Domino famulantes personae animarum suarum salutem, eodem Domino

1. *Bullarium Romanum,* t. XII, p. 205, édition de Vecco, Turin, 1867, in-4°.

miserante, facilius consequi, ceterisque Christifidelibus vitae ac morum exemplo proficere valeant ad salutem.

I. — Sane exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Henrici, Episcopi Parisiensis, ac charissimae in Christo filiae Mariae, Francorum reginae, petitio continebat, quod alias cum ipsa Maria regina pio devotionis zelo ducta, ut aliquo devotionis suae monumento immensarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium largitor optimus decoravit, testari possit, disciplinam Ecclesiasticam, undique fere in regno Franciae, haeresum bellorumque praeteritorum injuria, tum in Religione tum etiam in moribus non parum depravatam ac corruptam, in primaevum et pristinum suum statum, devotionisque et pietatis splendorem salubri aliqua ratione restitui plurimum desideret; et id re ipsa, in consultatione cum viris gravibus et piis ac praesertim cum dicto Henrico episcopo pluries habita, mature discussa, utilius et fructuosius quam ex institutione alicujus congregationis *piorum sacerdotum, quorum studium et officium ad munus sacerdotale, juxta sanctum atque pium illius institutum, debite exsequendum et adimplendum sit omnino directum* exsequi posse non videatur, ipsaque Maria regina unam devotam piorum ac probatae vitae sacerdotum, *quorum principale institutum singulas actiones Ordini sacerdotali convenientes et essentiales amplecti existat,* Congregationem in ipso Regno, et praesertim in civitate Parisiensi, ubi illa non parum desiderari videtur, erigi et institui, curamque erectionis et institutionis hujusmodi dilecto filio Petro de Berulle presbytero Parisiensi, cujus ministerium felici progressui et directioni ipsius Congregationis maxime profuturum esse in Domino confidit, per nos committi et demandari summopere desideret; pro parte eorumdem Henrici Episcopi et Mariae reginae nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Congregationem piorum ac proba-

tae vitae sacerdotum perpetuo erigere et instituere, illiusque curam dicto Petro committere et demandare, ut praefertur, ac alias de Apostolicae potestatis providentia consulere dignaremur.

II. — Nos igitur quibus cura et sollicitudo cordi insidet fidem et religionem catholicam propagare, divinique cultus augmentum, et ut Christifideles singuli per viam salutis in hoc saeculo gradientes, ad coelestia regna pervenire mereantur procurare, praesertim ubi catholicorum principum vota id exposcere, ac in Domino salubriter conspicimus expedire, *considerantes hujusmodi institutionem specialiter sacerdotes, aut personas ad sacerdotalem statum aspirantes vel saltem eorum ministerio necessarias, ac Iesum Christum Dominum nostrum sacerdotalis dignitatis immediatum institutorem tangere et respicere, aequum maxime et rationi consentaneum judicamus, ut qui hujusmodi institutum aggrediuntur, ultra communem fidelium devotionem, speciali et particulari devotioni Iesu Christi Domini nostri addicantur, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech et fons sacerdotii in Ecclesia Christiana.* Hinc pio et salubri dictae Mariae reginae desiderio favorabiliter annuere, ac ipsum opus pium muneris Sedis Apostolicae consolatione confovere, nec non Christifideles ad pia, meritoria et salutaria opera exercenda, ecclesias quoque et sacra Dei templa devotionis causa visitanda, aeternis praemiis ac spiritualibus muneribus et peccatorum remissione invitare volentes; necnon Henricum episcopum et Petrum praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi

supplicationibus inclinati dicto Petro apud nos de religionis zelo, vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, nostram et dictae Sedis benedictionem impertientes, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei Patris et animarum salutem, unam sub nomine Oratorii Iesu Christi Domini nostri congregationem in honorem orationum quas in diebus carnis suae fudit ut ii qui congregationem ipsam ingredientur eumdem Iesum Christum pro nobis in oratione positum et pernoctantem revereantur, atque etiam instituti ad quod vocati sunt moneantur, et praesertim semper hanc praecipuam omnibus communem et omni tempore congruentem officii eorum partem, quae in orationibus pro populo ac in Dei laudibus celebrandis versatur, habeant apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicujus praejudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

III. — Dictumque Petrum institutorem in praepositum generalem hujus piorum sacerdotum nulli antea religioni voto solemni addictorum necnon et aliorum ad presbyteratus ordinem promoveri cupientium, et reliquorum ad familiaria officia necessariorum Congregationis Oratorii Iesu Christi Domini nostri nuncupandae hujusmodi, *qui simul et in societate religiose vivere*, *et in humilitatis spiritu*, *et piae vitae studiis Altissimo famulatum exhibere et impendere studeant*, *quorum principale ac praecipuum institutum sit perfectioni status sacerdotalis totaliter incumbere*, *singulasque actiones ordini sacerdotali proprie et essentialiter convenientes*, *sibi a locorum Ordinariis*, *ubi stabilita fuerit*, *praescribendas*, *et non alias*, *amplecti;* sacerdotum insuper et aliorum ad sacros ordines aspirantium instructioni, *non circa scientiam*, *sed circa usum scientiae*, ritus et mores proprie ecclesiasticos se addicere.

IV. — Cum plena et omnimoda facultate, potestate et

auctoritate eidem Petro per nos ad id assumpto, et a dicta Maria regina summopere commendato praedictam Congregationem hujusmodi, tam in civitate Parisiensi, quam in omnibus aliis civitatibus, oppidis, terris et locis ad quae a locorum episcopis vocatus fuerit, et non alias instituendi, ac demum, pro felici statu et directione personarum ac bonorum spiritualium et temporalium ejusdem Congregationis seu Congregationum sic erigendarum tam circa receptionem et admissionem, numerum, aetatem et qualitates in ipsa Congregatione recipiendorum et admittendorum, eorumque instructionem et disciplinam quam circa exercitia, ac modum et formam divinorum officiorum, precum et orationum, aliorumque suffragiorum recitandorum, et alia ipsis Congregationibus utilia atque necessaria quaecumque statuta, ordinationes et capitula licita et honesta, sacrisque canonibus et constitutionibus apostolicis, necnon Concilii Tridentini decretis minime contraria, a sancta Sede Apostolica postmodum approbanda, confirmanda, ac per ipsarum Congregationum praepositum, presbyteros, officiales, ministros et coadjutores, sub poenis in eis apponendis, adimplenda et observanda faciendi, edendi et condendi; factaque, edita et condita quoties pro illorum, ac rerum et temporum qualitate et vicissitudine, seu alias, videbitur corrigendi, limitandi, immutandi, alternandi, ac etiam alia ut praefertur, examinanda et approbanda, ac etiam, ut praefertur, adimplenda et observanda ex integro faciendi et condendi; aliaque omnia et singula a similium Congregationum, necnon quorumcumque Ordinum approbatorum constitutoribus, aut aliis superioribus etiam generalibus, de jure vel consuetudine, sive ex privilegio, aut alias quomodocumque fieri et exsequi solita faciendi et exsequendi dicta auctoritate deputamus et assumimus.

V. — Omnesque alias, ad instar supradictae per nos sic

erectae, canonice erigendas congregationes quas ab ea Parisiensi, et a dicto praeposito generali, ubicumque locorum stabilitae fuerint, in omnibus dependere volumus et intelligimus, ex nunc, prout postquam auctoritate praedicta erectae fuerint, eisdem auctoritate et tenore, perpetuo approbamus et confirmamus.

VI. — Ita tamen quod Congregatio Parisiensis saltem duodecim presbyteris constare, et tot redditus annuos habere debeat, ex quibus unicuique presbytero hujusmodi portio annua quadraginta quinque ducatorum auri de camera obvenire possit. Ceterae vero Congregationes decem ad minus presbyteros, ac eosdem redditus annuos, vel quos Sedis praedictae legatus, aut pro tempore existens nuncius apostolicus, et episcopus loci, ac dictae Congregationis sic erectae praepositus generalis, pro locis qualitate sufficere judicaverit habere debeant.

VII. — Et postremo eisdem Congregationibus ex nunc, prout etiam postquam institutae et erectae fuerint, ut praefertur, pro illarum dote, et dicti Petri, necnon praepositi generalis, et presbyterorum eorumdem pro tempore existentium sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, omnia et singula, res, bona, fructus, redditus et legata ac eleemosynas, tam per dictam Mariam reginam quam alios quoscumque christifideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda, et elargienda ita quod liceat dicto Petro, vel alii praeposito generali, et presbyteris dictarum Congregationum pro tempore existentibus, illorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, dictarum Congregationum nomine, libere apprehendere, et perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, jura, obventiones et emolumenta quaecumque eorumdem percipere, exigere, levare, recuperare, ac in dictarum Congregationum usus et utilitatem convertere Dioecesani loci,

vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita etiam perpetuo applicamus.

VIII. — Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, quibuscumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedem praedictam, ejusque legatos, quavis causa et occasione, etiam motu proprio, et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis : quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, et forma in illis tradita observata, nihilque penitus omisso inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

IX. — Caeterum ad augendam fidelium devotionem, animarumque saluti consulendum, et ut christifideles ad hujus instituti exercitium animentur atque invitentur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis presbyteris, qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur, et in ea recipientur, eorumque coadjutoribus et oblatis, aliisque ministris, die eorum et cujuslibet ipsorum ingressus, receptionis ac professionis, ac in mortis articulo, si poenitentes et confessi, ac

sacra communione refecti fuerint, plenariam indulgentiam, et omnium peccatorum suorum remissionem, eisdem auctoritate et tenore misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Postremo eisdem praeposito, presbyteris, coadjutoribus, oblatis et aliis ministris praedictis, qui congregationibus publicis vel secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut pium aliquod opus circa functiones suas exercuerint, toties pro quolibet praemissorum piorum operum, ut magis ad sui instituti opera animentur et suavius ad ea invitentur, sexaginta dies de injunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, etiam apostolica auctoritate et tenore hujusmodi misericorditer relaxamus; nec non tam ipsis, quam omnibus aliis christifidelibus, qui etiam vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti eorumdem presbyterorum ecclesias aut Oratoria in sanctissimi Corporis Christi et Assumptionis beatae Mariae Virginis festivitatum, ac in quo ecclesiae seu oratoria dictorum presbyterorum in unaquaque Dioecesi seu loco primâ vice populo aperientur, diebus devote visitaverint, simili apostolica auctoritate, tenore praesentium, etiam indulgentiam plenariam et omnium peccatorum suorum remissionem concedimus et elargimur, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, impertionis, erectionis, institutionis, deputationis, assumptionis, approbationis, confirmationis, applicationis, appropriationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Tusculi, anno a nativitate D. N. Iesu Christi MDCXIII, sexto idus maii, anno VIII.

III.

Bref d'Innocent X approuvant les statuts fondamentaux de la Congrégation de l'Oratoire.

(19 novembre 1654.)

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ex Romani Pontificis providentia provenire convenit, ut illa quae pro christifidelium in humilitatis spiritu et piae vitae studiis profectioni status sacerdotalis totaliter incumbentium, felici directione provide constituta esse dignoscuntur, confirmationis apostolicae praesidio muniantur. Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci Bourgoing, Praepositi generalis, et presbyterorum Congregationis Oratorii Jesu Christi Domini nostri dudum a felicis recordationis Paulo Papa V, praedecessore nostro, institutae, nobis nuper expositum fuit, quod, cum primus ejusdem Congregationis Institutor seu Praepositus generalis, cui facultas statuta pro felici dictae Congregationis regimine condendi auctoritate apostolica concessa fuerat, nullis conditis statutis hujusmodi, immatura morte ereptus fuisset, praedictae Congregationis Presbyteri provide considerantes, non solum per Galliam ubi principium habuit, sed etiam per exteras nationes benedicente Domino diffusam, sine aliqua firma et per Sedem Apostolicam approbata vivendi forma regi et crescere vix posse, nonnulla statuta pro felici statu et directione ejusdem Congregationis in illius Capitulis generalibus secundi et praedicti

Francisci moderni ipsius Congregationis Praepositorum generalium tempore celebratis, sub nostro et sedis Apostolicae beneplacito condiderunt, tenoris qui sequitur videlicet : quod dictae congregationis, quae mere saecularis existit, proprius et essentialis status sit mere ecclesiasticus et sacerdotalis, ac sacerdotibus et ad sacerdotium aspirantibus nullo antea voto solemni religionis adstrictis constare debeat. Item quod nulli in dicta Congregatione votum solemne, seu utcumque religiosum emittere liceat, ipsaque Congregatio a quocumque votum simplex exigere non possit. Item quod Praepositi generalis ac illius assistentium electio, ad Capitulum generale ipsius Congregationis spectet et pertineat. Item quod officium Praepositi generalis ad vitam, ut antea, assistentium vero hujusmodi ad nutum ipsius Capituli generalis, modo ultra novennium durare non debeat. Item quod dictae Congregationis Capitulum generale, ex vocalibus omnium domorum ipsius Congregationis per caeteros alios dictarum domorum vocales legitime deputatos consistens, statutis temporibus, ultra tamen novennium non protrahendis, celebrabitur. Item quod universae Congregationis regimen, cessante Capitulo generali, penes Praepositum generalem ex consilio assistentium hujusmodi, singularum vero domorum, penes singulos earum praepositos per ipsum Praepositum generalem de consilio assistentium ponendos et amovendos, remaneat, dummodo hujusmodi praepositorum officium non duret ultra triennium, nisi Praepositus generalis pro tempore existens facultatem illud ad aliud triennium, ex gravi causa, et de praedictorum assistentium concilio prorogandi in Capitulis generalibus obtinuerit. Item quod penes Capitulum generale ipsius Congregationis legitime congregatum omnimoda potestas sit in Praepositum generalem pro tempore existentem, ac in caeteras omnes alias personas, singulasque

dictae Congregationis etiam quoad bonum ipsius regimen, sive publicum sive privatum sit, id omne per pluralitatem vocum in actu Capituli generalis decerni debeat.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praefati Franciscus Praepositus generalis et presbyteri praeinserta statuta Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborari summopere desiderent, Nos ipsos Franciscum Praepositum generalem et presbyteros specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio, praeinserta statuto apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos juris et facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus; decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, et ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, nonobstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium transcriptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XIX Novembris MDCLIV. Pontificatus nostri anno undecimo.

Sic signatum, G. Gualterius, cum sigillo annuli Piscatoris.

IV.

Commentaire du R. Père de Condren sur la bulle d'institution[1].

Cette Bulle nous marque :
1° Quel est l'état et l'esprit propre de cette Congrégation;
2° A quelles fonctions elle est destinée[2].

1. *Œuvres complètes du P. Charles de Condren. Ses lettres*, 4e édit., p. 168 et suiv. Paris, 1857, in-12.

2. *Summa Instituti Congregationis Oratorii Domini nostri Iesu Christi, ex apostolico diplomate institutionis ejusdem desumpta :*

Congregationis Oratorii proprius et essentialis status pure ecclesiasticus est et sacerdotalis.

Constat eadem sacerdotibus et ad sacerdotium aspirantibus, nullo antea religionis voto astrictis.

Quod spectat ad animum et interiorem vitae suae statum tria sibi in Bulla proposita et praescripta agnoscit :

Primum est, ut principale et praecipuum institutum sit perfectioni sacerdotali totaliter incumbere.

Secundum, ut qui hujusmodi institutum aggrediuntur, ultra communem fidelium devotionem, speciali et particulari devotioni Iesu Christi Domini Nostri addicantur, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, et fons sacerdotii in Ecclesia christiana.

Tertium, ut eumdem Iesum Christum pro nobis in oratione positum et pernoctantem venerentur, et hanc praecipuam officii sui partem, quae in orationibus pro populo ac in laudibus Dei celebrandis versatur, habeant.

Quod spectat ad disciplinam, et externas functiones, tria quoque praescribuntur :

Primum, ut singulas actiones ordini sacerdotali proprie et essentialiter convenientes amplectentur.

Secundum, ut ejus modi actiones ab Ordinariis praescri-

Quant à son état essentiel, il paraît, par le premier point de cette première partie de la Bulle, que la Congrégation de l'Oratoire de Jésus-Christ Notre-Seigneur est une assemblée de personnes chrétiennes qui se séparent du monde et d'elles-mêmes, suivant l'attrait de la grâce de Dieu qui les appelle au sacerdoce, pour rechercher ensemble non seulement la perfection du christianisme telle qu'elle doit être en tous les fidèles, mais aussi la perfection du plus haut ordre et de l'état le plus élevé du christianisme, lequel doit être non seulement chrétien et saint, mais aussi engendrer les chrétiens et coopérer avec Jésus-Christ pour en faire des saints.

De là résulte la condition que le saint-père ajoute : *nullo antea religionis voto astrictis :* que, cette Congrégation n'étant qu'une assemblée de prêtres ou aspirants à la prêtrise, elle ne s'engage pas par des vœux à observer la pauvreté, la charité, l'obéissance et les conseils évangéliques; mais elle embrasse toutes ces vertus en s'engageant à ce sublime état qui doit sanctifier et perfectionner tous les autres états de l'Église, et qui, par conséquent, suppose la perfection de tous. Il n'est donc pas nécessaire que les sujets de cette Congrégation fassent des vœux pour s'engager à la perfection, puisqu'ils y sont engagés par état et par leur caractère même.

Cela n'ôte rien à l'estime que cette Congrégation fait des saints vœux, puisqu'elle a toujours laissé la liberté à tous

bendas, et non alias, hoc est, non nisi de licentia Illustrissimorum Ordinariorum exerceant.

Tertium, ut sacerdotum et aliorum ad sacros ordines aspirantium instructioni, non tam circa scientiam, quam circa usum scientiae, ritus et mores proprie ecclesiasticos, se addicant : quod ultimum caput seminaria seu ecclesiasticas institutiones, nec non complura clericis et sacerdotibus praestanda subsidia comprehendit.

ses sujets de s'engager, suivant leur dévotion, par des vœux simples et particuliers; mais le saint-père n'a pas voulu qu'ils fissent des vœux solennels; et c'est la condition sous laquelle il nous a dévoués à Jésus-Christ et au service de son Église. Et tant s'en faut que son intention ait été d'exiger par là de nous une moindre perfection que celle des religieux, qu'au contraire, il nous a imposé une étroite obligation de nous appliquer uniquement, et de tendre de toutes nos forces à la perfection sacerdotale, laquelle sans doute, dans les religieux mêmes, ajoute quelque chose à la sainteté de leurs vœux : *Primum,* dit-il, *et principale ejus institutum sit perfectioni sacerdotali totaliter incumbere.*

Ces paroles nous marquent évidemment que, si tous les fidèles sont obligés de se rendre parfaits chrétiens, les prêtres de l'Oratoire de Jésus sont obligés de se rendre bons prêtres de Jésus-Christ, afin de former ensuite les parfaits chrétiens et les bons prêtres, de faire entrer les laïques dans l'esprit commun de l'Église et dans la religion de Jésus-Christ, et les ecclésiastiques dans la sainteté de ce souverain prêtre; et afin de montrer à toutes sortes de personnes la science des saints et le véritable chemin du salut que Jésus-Christ nous a tracé.

Tous les prêtres de l'Église, et particulièrement les pasteurs, sont à la vérité dans ces mêmes obligations; mais les prêtres de l'Oratoire en font une profession expresse et particulière, car ils se séparent actuellement de tout ce qui les en peut divertir : ils renoncent aux cupidités du siècle, à toutes les choses séculières, et même à l'ambition des bénéfices, promettant à Dieu de n'en jamais rechercher et de n'en accepter aucun, que par une vocation légitime et par dépendance de leurs supérieurs.

Ils font cette profession en se soumettant aux statuts de la Congrégation qui les y obligent, comme nous verrons

lorsque les statuts nous parleront par eux-mêmes; ils la font à la face de l'Église qu'ils ne veulent pas tromper, laquelle a toujours voulu que Jésus-Christ, seul souverain prêtre, choisît et appliquât les prêtres selon sa volonté, et a toujours condamné ceux qui se sont ingérés dans les sacrées fonctions des bénéfices, ou qui les ont usurpées. Ainsi les maisons de l'Oratoire de Jésus doivent être, à l'égard des autres prêtres, ce que les monastères sont à l'égard des laïques : car, comme dans la décadence et dans le refroidissement de la première ferveur du Christianisme, Dieu inspira à plusieurs laïques l'esprit de retraite et de solitude, d'où se formèrent les monastères qui servirent d'asile non seulement aux pécheurs pénitents, mais aussi aux plus fidèles laïques, lesquels s'y retirèrent pour conserver la pureté de la foi, de la religion et des mœurs du christianisme, et exciter, par leur exemple, la tiédeur des laïques imparfaits et confondre les corrompus; de même, l'ordre sacerdotal étant déchu en plusieurs endroits de sa première perfection, Dieu a excité saint Philippe de Néry en Italie et l'éminentissime cardinal de Bérulle en France, pour former une Congrégation de prêtres qui, non seulement font profession de tendre à la perfection sacerdotale, mais qui se séparent de tout ce qui les en peut détourner et qui se renoncent eux-mêmes, pour s'attacher, par une profession ouverte, à en rechercher les moyens et en acquérir les vertus, et enfin qui s'unissent en corps pour être, à l'égard des autres ecclésiastiques, ce que les religieux sont à l'égard des laïques. Il s'ensuit de là que l'intention de Dieu, comme elle vous est exprimée par son oracle notre saint-père le pape en cette première partie de la Bulle de notre institution, est que nous soyons autant élevés en pureté, en pauvreté, en humilité, en obéissance, en modestie, en charité, en zèle, en piété, en perfection, en sainteté de vie, par-dessus le commun des ecclésiastiques,

que les plus saints religieux sont élevés par-dessus le commun des laïques ; de telle sorte que la seule présence d'un prêtre de l'Oratoire doive exciter la tiédeur des ecclésiastiques relâchés, et confondre le vice de ceux qui sont corrompus, comme Tertullien dit que les chrétiens séparés du monde confondaient par leur rencontre les vices du monde : *De occursu meo vitia suffundo.* Pour nous obliger à cette perfection, ce saint pape nous propose Notre-Seigneur Jésus-Christ même pour notre modèle; il veut que nous le regardions comme l'unique et immédiat instituteur de l'ordre sacerdotal ; que nous lui soyons liés, unis, appartenants et consacrés d'une manière spéciale, et que nous continuions sur la terre sa vie de religion et de piété.

En effet, Dieu a établi immédiatement le sacerdoce par son fils unique avec sa religion universelle, à laquelle il a lié indistinctement tous les fidèles. Nous devons donc regarder Jésus-Christ comme notre premier modèle, notre patron, notre unique législateur, l'imiter, le suivre, observer exactement toutes les lois qu'il a données par lui-même, soit à tous les chrétiens en général, soit en particulier aux prêtres, puisqu'il a voulu être lui-même la règle de la perfection sacerdotale. C'est à peu près le raisonnement par lequel l'apôtre saint Paul veut convaincre les chrétiens de l'étroite obligation dans laquelle ils sont de garder les règles de l'Évangile. C'est Jésus-Christ, dit-il, qui nous a annoncé l'Évangile, et non pas les anges ni les prophètes : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*[1]. D'où il infère au chapitre suivant : *Propterea abundantius oportet observare nos ea quae audivimus, ne forte pereffluamus; si enim qui per angelos dictus est sermo factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia acce-*

1. Paul, *Haebr.*, I, 1, 2.

pit justam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem[1] ?

C'est ce que le pape Paul V nous veut bien faire entendre par ces paroles que nous ne saurions assez méditer : *Ultra communem fidelium devotionem speciali et particulari devotioni Iesu Christi Domini nostri addicantur, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, et fons sacerdotii in Ecclesia christiana.* Il veut que nous soyons, tout autrement que le commun des Chrétiens, dévoués, consacrés, liés et unis à Jésus-Christ comme à notre chef et souverain Prêtre, avec qui nous ne ferons qu'un même prêtre, n'étant oints que par une participation de l'onction de Jésus-Christ comme prêtre, et cette participation à son onction divine, cette appartenance et cette liaison à son humanité ainsi consacrée, nous sépare avec elle du commun des hommes, de toutes les créatures et de nous-mêmes, nous approprie à la personne du Verbe et nous consacre par elle avec sa sainte humanité à la gloire de la Trinité adorable.

Ainsi vivants en Jésus-Christ et selon lui, nous serons véritablement ses religieux; et, sans être liés par aucun vœu solennel ou particulier, nous vivrons religieusement. La charité de son Saint-Esprit, par laquelle nous lui serons unis, sera notre loi principale; elle nous appliquera à tous nos devoirs et nous fera pratiquer, par amour, toutes les vertus que les religieux pratiquent et toutes celles qui sont propres à l'ordre sacerdotal. On ne peut pas douter que, si cette divine charité règne dans nos cœurs, elle nous porte à tout ce qu'il y a de plus parfait dans l'Église, puisqu'une grande charité produit infailliblement une parfaite fidélité et une stabilité persévérante.

1. Paul, *Ibid.*, II, 1-3.

Il ne faut donc pas nous dissimuler à nous-mêmes que l'obéissance doit être prompte et exacte dans une Congrégation où l'amour doit commander et l'amour doit obéir; que la pureté doit être inviolable où tout est consacré à la pureté divine; que l'esprit de pauvreté doit régner parmi nous, s'il est vrai que notre cœur ne soit attaché qu'à Jésus-Christ et qu'il rejette tout ce qui n'est pas Dieu. Enfin nous serons très constants au service de Dieu, si nous nous souvenons que l'onction du Saint-Esprit, par un caractère ineffaçable, nous sépare de toutes les choses humaines, nous lie et nous engage à vivre et à subsister en Jésus-Christ.

C'est ce que le Souverain Pontife s'est proposé et ce qu'il a voulu nous inculquer encore davantage au troisième article de cette première partie de sa Bulle, où il veut que cette union intime avec Jésus-Christ nous tienne toujours en esprit ou en exercice d'oraison : *Eumdem Dominum nostrum Jesum Christum pro nobis in oratione positum et pernoctantem venerentur et hanc praecipuam officii sui partem...* C'est-à-dire que nous devons continuer sur la terre la vie d'oraison du Fils de Dieu, honorer par notre état sa vie de religion et faire de l'oraison notre occupation continuelle et principale. L'esprit d'oraison est donc le propre esprit de l'Oratoire et c'est ce qui nous en donne le nom. En effet, ceux qui sont véritablement de l'Oratoire et qui en pratiquent les règlements sont continuellement en oraison, non seulement parce qu'ils s'y appliquent expressément à certaines heures et le plus souvent qu'ils peuvent, mais aussi parce qu'ils font toutes leurs actions en esprit d'oraison, en union et par hommage aux actions de Jésus-Christ, dans ses intentions, dans ses saintes dispositions, et pour adorer et glorifier en lui et par lui la Très Sainte Trinité. C'est ainsi qu'ils accomplissent ce précepte de l'Évangile : *Oportet semper orare et nunquam deficere.*

Cet esprit d'oraison doit porter avec soi une plénitude de Dieu, de l'esprit de Jésus-Christ et d'une paix intérieure que rien ne peut troubler, et qui est la récompense que l'apôtre saint Paul promet à ceux qui feront tout en esprit d'oraison : *In omni oratione et obsecratione..... et pax Dei custodiat corda vestra et intelligentias vestras.*

Le fruit de cette paix est une douceur qui doit se répandre dans notre extérieur et dans toutes nos actions, dans la ferveur même du zèle que l'oraison aura allumé dans nos cœurs.

Après que ce saint pape a ainsi établi notre état et formé notre intérieur dans la première partie de sa Bulle, il nous prescrit, dans la seconde, les œuvres et l'effusion de cet esprit qui doit vivre en nous :

1° Dans l'exercice de toutes les fonctions ecclésiastiques et convenables au sacerdoce, sous les ordres des évêques et de nos supérieurs, sans lesquels nous ne devons rien entreprendre.

2° Particulièrement dans l'instruction des ecclésiastiques que nous devons tâcher de remplir du même esprit dans nos séminaires, et les appliquer beaucoup plus à l'usage de la science des saints qu'à l'acquisition de la science.

3° Généralement dans tout ce qui regarde la gloire de Dieu et le salut des âmes, à quoi nous devons travailler infatigablement, dans les prédications, dans les missions, dans l'administration des sacrements, dans l'instruction de la jeunesse, et en toutes les occasions que la Providence nous présentera.

De toutes ces réflexions nous tirons cinq conclusions très considérables :

1° La première, qu'on doit beaucoup examiner les dispositions et la vocation de ceux qui se présentent pour entrer dans cette Congrégation et pour être élevés dans nos maisons d'institution, car, puisque la Congrégation

tend à la perfection du sacerdoce, il est à désirer, conformément aux saints canons, que tous ceux qui y sont reçus aient conservé une grande innocence, ou du moins que si, par fragilité, ils sont tombés dans quelques désordres criminels, ils n'en aient pas contracté les habitudes, et qu'ils soient touchés d'une véritable pénitence et résolus à en pratiquer les œuvres toute leur vie.

2° Puisque la perfection du sacerdoce suppose la perfection de tous les autres états que le sacerdoce doit sanctifier, ceux qui y aspirent dans la Congrégation doivent renoncer de cœur et d'affection au monde, à toutes les choses séculières et à eux-mêmes, et embrasser tout ce qui est de la plus étroite perfection.

3° Puisque la Congrégation n'est composée que de prêtres ou d'aspirants à la prêtrise, et que le sacerdoce et le sacrifice sont ce qu'il y a de plus grand, de plus saint et de plus important dans l'Église pour le culte et la gloire de Dieu, toutes les délices des prêtres de l'Oratoire doivent être de s'approcher du saint autel, et leur plus grande douleur de s'en éloigner, s'ils y sont obligés par quelque empêchement invincible. C'est ce que l'on a vu pratiquer universellement jusqu'à ce temps; et nous devons beaucoup prier Dieu qu'il ne permette pas que cette première ardeur de religion, qui soutient l'esprit et la grâce de la Congrégation, s'éteigne parmi nous.

4° Puisque tous ceux de la Congrégation font une profession expresse d'appartenir à Jésus-Christ d'une manière très distinguée et très particulière, et d'être dévoués au service de son Église pour l'instruction des ecclésiastiques et pour le salut des âmes, ils doivent brûler de cet unique désir de mourir à eux-mêmes et, pour vivre de la vie de Jésus-Christ, le suivre et l'imiter en tous ses états et en tous ses mystères; coopérer avec lui et se consumer pour la gloire de son Père et pour la sanctification de tous les

membres de son corps mystique. Autrement, il serait à craindre que Notre-Seigneur ne nous reconnût pas pour siens, qu'il ne nous dît en son jugement, *non novi vos,* et qu'il n'exécutât sur nous ces arrêts qu'il a prononcés de sa bouche : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*[1]. *Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur*[2].

5° Enfin, ceux qui ont le bonheur d'être de ce corps et qui y ont passé une partie de leur vie doivent de temps en temps s'examiner sur les obligations de leur état et s'y renouveler avec un redoublement de ferveur, puisque notre salut dépend de la fidélité avec laquelle nous nous en serons acquittés.

1. Mat., XXV, 30.

2. Mat., VII, 19. — Le R. P. de Condren, considérant ces terribles paroles, avait souvent dit : « Qu'il désespérait du salut d'un prêtre de l'Oratoire qui ne vivrait dans la Congrégation que pour lui-même, qui ne s'attacherait qu'à son amour-propre et à ses intérêts, qui négligerait de remplir les devoirs de notre vocation, qui conserverait parmi nous l'esprit du monde et des désirs séculiers, et qui, après avoir été choisi et séparé des hommes, comme dit saint Paul, ne voudrait pas travailler selon ses forces, comme ministre de Jésus-Christ, dispensateur de ses mystères et médiateur avec lui entre Dieu et les hommes. »

INDEX.

10*

ERRATUM.

Articulus XLIX (p. 13), ex Sacrae Congregationis E. et R. decreto, ita reformetur :

XLIX. — Nemo in Congregationem adscribatur nisi sacerdotio sit insignitus a triennio, et tres annos tresque menses post novitiatum in Congregatione degerit; quo tempore habeatur tanquam scholasticus inter nostros.

EXTRAIT

DU

COMPTE-RENDU DE LA CINQUIÈME ASSEMBLÉE

PRÉSIDÉE PAR LE R. P. BOURGOING

(Session 12e, du 28 septembre 1644).

« Pour conclusion sera mis tout à la fin [des statuts] :

« Haec summa lex et regula Oratorii christia-
« nis et sacerdotibus ab Apostolo data :

« *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica,*
« *quaecumque iusta, quaecumque sancta, quae-*
« *cumque amabilia, quaecumque bonae famae, si*
« *qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogi-*
« *tate..., haec agite, et Deus pacis erit vobiscum.* »
(Philipp., IV, 8-9.)

Achevé d'imprimer en mai m dccc xciij
par Daupeley-Gouverneur à Nogent-le-Rotrou.

